24636

Anik Buceminy


Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/deeclipsisolaria00bald

Ambr. Bideemanny.

Hem! perſonatum ſolem ſic poſse iocari!

Eclipſis Solis

1654  12 Aug

Tubo Satyrico Perluſtrata.




ANTONIVS BIDERMAN
16 54

DE
ECLIPSI
SOLARI
ANNO M. DC. LIV.
Die XII. Auguſti,
In Europa,
A pluribus ſpectata
TUBO OPTICO:
Nunc iterum
à JACOBO BALDE
è Societate JESU
TUBO SATYRICO
perluſtrata.
LIBRI DUO.

Cum facultate Superiorum.
MONACHII.
Typis *LUCÆ STRAUB.*
Sumptibus JOANNIS WAGNERI
Bibliopolæ.

M. DC. LXII.

LIBER I.

Continet Iſagogen in ſequens Poëma.


Constantinopel.
Vien.
1654
Hac Lunæ larua noſter
deluditur Orbis
12 Aug:
Rom.
Paris.


Venedig.
Madrit.
1654.
Hac Lunæ larua noſter
deluditur Orbis.
12 Aug.
Coppenhagen.
Stokholm.

Candido Lectori Auctor.

QVod operæ pretium mihi viſum fuit in Solatio Podagricorum nuper edito: ut Poëma confectum, diſſertatione medica de morbo Podagræ, proludens delinirem, quò inſtructior ad Luſum Satyricum accederet, quiſquis lepidæ captivitatis myſteria legere dignaretur: idem quoq; ut tentarem in hoc eclíptici Carminis opere, perſuaſit prioris tentamenti ſucceſſus. & nunc quidem inſtituti noſtri rationem, tantò magis videbatur ipſa neceſsitas urgere Pauci enim ſcient, quibus de cauſsis, quóve tumultu, propter eclipſin præteritam, à nobis iterum tubo Satyrico luſtratam, Europa regionatim perculſa, inſaniverit penè univerſa. Quomodo *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: ita unius alteriúſve Schiomantæ futilis opinio potiùs, quàm juſta præſagiendi cauſſa, regna populóſque ridiculo terrore concuſsit. Quæ

omnia in Poëmate quidem fusè per partes explicata, ut tamen tantò meliùs clariúſque intelligerentur ; in gratiam eorum maximè, qui aſtrologiæ ignari, eclipſiographiam vel canoras artes parciùs hauſerunt ; ſequentem Dialogum præfiximus, velut Iſagogen, introducturam Lectorem non omnino hebetem, ad noticiam majorem ſiderum, Solíſque & Lunæ labores penitiùs dignoſcendos. quippe nullam vel exiguam delectationem mentis ſentimus exſurgere, in caligine ſive rerum, ſive verborum, qualem eclipſis affundit, verſantibus. ideo vivaciorem acceſſuram putamus; ſi rudis animus, antè quàm ipſum Poëma delibet, prævijs quodammodo radijs illuſtretur. Id efficiet, ut ſperamus, Dialogus iſte in hunc quoque finem prolixior inſtitutus, inter *Didacum Cyriſatum*, & *Alphonſum Perſium Pernumiam*. Didacus, Poëtæ partes agit, & ſcriptionem qualemcunque tutatur. Pernumia, inclyti nominis vir, mathematum cœleſtium cultor, pro And. Argolo Italo, & pro Iſraële Hiebnero Germano, utcumque ſtat. colliſio ſententiarum in ſpeciem diſſentientium, ex Auctoris autem propoſito ad eundem tendentium finem,

nem, veritatem familiari alloquio liquidiùs aperit, & uranometriæ ſtudioſis *lacteam viam* ſternit. Quæ hoc Dialogo tractavimus, in Synopſin digeſta paucis accipe.

1. Andreæ Argoli, & Iſraëlis Hiebneri Aſtrologorum de Eclipſi Anni 1654. doctrina in compendio, jam Anno 1652. in vulgus ſparſa. *DIDACVS.*

2. De Saturno & Marte, inimicis ſatellitibus obſeſsi Solis, aliqua inquiſitio. *Did.*

3 An Planetæ, puta Martis, Veneris, vi nominum efficaces ſint: id eſt, an ille globus, *Mars* dictus, ſi dictus *Venus* fuiſſet, non accenderet iras, ſed amores conciliaret. *Did.*

4. Theoria Planetarum explicata: non ſervato ordine Sphæræ, ſed argumenti, cui ſubſervit. *Alphonſus.*

5. Theoria Solis Aſtrorum principis; adjuncto ejuſdem encomio Phyſico & Poëtico. *Alph. Did.*

6. Tum Lunæ: Saturni, Martis, Iovis, Veneris, Mercurij. *Alph.*

7. Aliquod de ſtellis fixis additamentum. *Alph.*

8. Nihil in Mundo tam vile eſſe, quod non ad plura dirigatur. quid igitur dicen-

dum de cœleſtium corporum multiplici utilitate? *Alph.*

9. A fabrica Microcoſmi, ad Macrocoſmi im̃enſum ſplendorem altiùs aſſurgendum eſſe. *Alph.*

10. Planetarum vim maximam, ac penè incredibilem, affirmare ipſum ſapientiſsimum Regem Salomonem. *Alph.* Sed utique & hanc limitatam eſſe. *Did.*

11. Abuſum Aſtrologiæ judiciariæ, non præjudicare pulcherrimæ ſcientiæ, quaſi in totum contemnendæ. S. Thom. Aquinatis teſtimonium profertur. *Alph.*

12. Interea Genethliaci examinantur, & exagitantur. *Did.*

13. Quid de genialibus ſtellis, quáſque fatales vocare audent, ſentiendum. *Did.*

14. Arbitrium hominis liberum nullatenus illis ſubijci: temperiem corporis aliquo modo. *Did.*

15. Ineptia divinantium de præterita Eclipſi multiplex. *Did.*

16. Religioſi & pij admodum viri Anonymi, de eadem firmum judicium. *Alph.*

Illum certè Argolo faviſſe. *Alph.*

17. At enim erráſſe Argolum ſaltem in hoc; quod *Extremi Iudicij* Diem, jam

nunc

nunc certò venturum, ex ſola eclipſi prædixerit. *Did.*

18. Aſtrorum vis in animas hominum, eorúmque fortunas & fata prolixè convellitur, & eneruatur. *Did.*

19. Etiam clariſsimorum virorum teſtimonijs, Baſilij M. Pici Mirandulæ, &c. in medium adductis. *Did.*

Quæ tamen Alphonſo minùs arrident.

20. Chaldæorum ex ſideribus fata enunciantium mores, & aſtutiæ. *Did.*

21. Dictum Catonis de aruſpicibus, accommodatum Aſtrologis. *Did.*

22. De Hermanno VVervæo. *Did.*

23. Martini Lutheri, in propria cauſſa, de Genethliacis ſententia. *Did.*

24. Atqui non pauca extare veriſsimarum præſagitionum exempla, quorſum ergo convicia vel murmura? *Alph.*

25. Exempla citata, non magnopere eſſe curanda. *Did.*

26. Pontificum fulmina in Aſtrologiam judiciariam. *Did.*

27. Hermanni VVervæi ridicula Prognoſtica. *Did.*

28. Quale judicium ferre poſsint Aſtrologi, extraordinaria cœli phœnomena

ſpeculantes: apparere ex præſagijs Faſtorum, quos *Calendaria* vulgus appellat. quantis enim erroribus tempeſtates adducant & prægravent! quantis itidem decepti decipiant, adeò neminem neſcire, ut in proverbium quoque iverit mentiendi licentia. *Did.*

29. Typographi cujuſdam, Auctori bene noti, felix audacia, rudi licèt ingenio præſignantis eadem Prognoſtica in Calendarijs ſuis, inempta oracula, ſive mendacia jocoſa (nam quid intereſt?) quæ alij Aſtrologi magno vendere & proſtituere ſolent. *Did.*

30. R. P. Cornelij à Lapide pronunciatum memorabile de Genethliacis divinantibus. in c. 19 Act. Apoſt. poſt. verſ. 19. *Did.*

31. Auctoritas S. Baſilij Magni aggravans.

32. Recentiſsima exempla divinatorum à ſcopo aberrantium. *Did.*

33. Si in hominis ortu & occaſu prognoſtica ſic abludunt, quamvis ex cauſsis naturalibus penetrabilia: quot paraſangis Perſicis avij divertent Aſtrologi, arcana pronunciantes, quæ utique *tempora &*

mo-

momenta ſunt, quæ poſuit Pater in poteſtate ſua. Act. Apoſt. c. 1. *Did.*

34 Argolum domûs Auſtriacæ, & Imperij Rom. ruinam, ex hac unica Solis eclipſi imprudenter prædixiſſe. *Did.*

35. Quid? quòd ſol nunquam eclipſin patiatur, ſed ſoli homines, lumine ſolis, propter interpoſitum Lunæ corpus tantiſper privati. quorſum ergo minæ, metus, horror? *Did.*

36. Eclipſes ſolares veteribus, Platoni, Ptolomæo &c. ſemper ſuſpectas fuiſſe, ut periculoſiſsimas. *Alph.*

37. Nihil inde probari. *Did.*

38. Quæ in Solari & Lunari eclipſi, ex Ptolomæi ſententia potiſsimùm obſervanda ſint. *Alph.*

39. Saturni & Martis nimia vis, quam Mathematici in eclipſibus tantopere excandefaciunt, exploſa. *Did.*

40. Mutationem regnorum non ſequi ex eclipſibus, contra Argolum. *Did.*

41. Regnorum mutationem, quam Daniel Propheta deſcripſit, contigiſſe abſque ulla eclipſi. *Did.*

42. Solem totum à Luna obſcuratum, Signum eſſe Romani Imperij, à Luna Tur-

cica obſcurandi, frigidiſsimè juxtà & ſtolidiſsimè dici. *Did.*

43. A ſeptem Planetis, ad Septemviros Imperij, vanam comparationem inſtitui. *Did.*

44. Immò ex præterita eclipſi validiùs probari potuiſſe, Turcarum ex rapto viventium ſplendorem, in tenebras migraturum. *Did.*

45. Digreſsio ad Auguſtiſsimum Imperatorem Leopoldum, hujus nominis primum, vanam eclipſin ferro refutaturum. *Did.*

46. Claſsicum ad Principes Rom. Imperij, adversùs Turcam, jam olim ab Auctore compoſitum, huic Dialogo ad animandos milites inſertum.

47. Regreſſus ad Argolica ſomnia, à non ſomniante ſolertiùs examinata. nec Turcam triumphaturũ, nec Iudicij extremi diem imminere tam propinquum, quàm Argolus eclipticè prædixerit. *Did.*

48. Mundi cataſtrophe. Extremi Iudicij imago artificioſiſsimè picta. Opus eximium Petri Pauli Rubenij Belgæ, viſendum Neoburgi ad Iſtrum, in Templo PP. Societ. IESV.

49. Nunquam ex oculis, nunquam ex ani-

animo dimittendam eſſe conſiderationem formidabilis Iudicij noviſsimi. ita præter ſacra oracula ſuadere Majores, & à tot ſeculis venerandam Antiquitatem Chriſtianam. *Alph.*

50. Certè Argolum ejus terrores ingeminando plurimùm toti Germaniæ profuiſſe. *Alph.*

51. An ſchola Mathematicorum, ſit etiam ſchola pietatis. *Did.*

52. *Non eſſe facienda mala, ut eveniant bona:* monere S. Aug.

53. Cur Poëma hoc, ad typum neque citiùs maturatum, neque ſeriùs dilatum.

54. Ad ultimum diſcutiuntur aliquot Quæſtiones Poëticæ; Poëma præſens lecturis non inutiles futuræ.

Facultas R. P. Viſitatoris & Vice Provincialis Societatis JESV per Superiorem Germaniam.

CVm Eclipſin Anni 1654. tubo Satyrico iterum perluſtratam, & duobus libris comprehenſam à Jacobo Balde Societatis noſtræ Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Patres legerint, cenſuerintque publicâ luce dignam: ego Chriſtophorus Schorrer Societatis JESV per Superiorem Germaniam Viſitator, & VicePræpoſitus Provincialis, poteſtate ab admodum Reverendo Patre Joanne Paulo Olivà Vicario Generali ad id mihi conceſſâ typis excudi permitto. In quorum fidem hoc Auctori chirographum conſueto Officij mei ſigillo munitum dedi. Dilingæ 13. Maij. Anno 1662.

Chriſtophorus Schorrer.

DIALOGUS

Inter Alphonſum Perſium Pernumiam Mathematicum, & Didacum Cyriſatum Poëtam, diſputantes de Eclipſi Anni 1654. *déque ſiderum in hæc inferiora influxu.*

Alphonſus. Didacus.

ALphonſ. Quæſo: ſine cæremonijs, parcamus & tempori. præterquam, quòd Mathematici non ament has elegantias, aut veriùs ſupervacaneas honoris ſuſpecti bracteas. Did. Profectò nec ego inſuevi delicijs iſtis. aularum & vanitatis mancipia, quæ politica hac larva mores ſuos obvelant, ſic honorificè geſticulari gaudent. Amici, eſto, aliquantò crudiùs, tamen ſynceriùs agunt. conſideamus, ſi placet. Alph. Per me licet. ignoſcas non ultro invitanti. prævenisti vota & debitum obſequium meum. hîc duo hemicycli. juuabit acquieſcere. Quid igitur rerum nunc agitur? Did. Cùm nudius tertius Poëtæ noſtri recens Carmen de Argolica Eclipſi offerrem: túque perfectâ ſynopſi, de mirabili Planetarum curſu diſſerero

ſerere inciperes: ſcis, quo impetu irruens Murtonius Garzon, utriuſque colloquium turbaverit. Fateor, viri cæterà clariſsimi adventum, tunc gratum non fuiſſe. cedendum tamen erat hominis auctoritati: atque, ut urgebat periculum in mora, præ feſtinandi cupiditate, neſcio ex qua aula anhelantibus negotijs. Itaque in manibus tuis relicto Poëmate, quàm potui, molli paſſu, ab arcanis veſtris me ſubduxeram. Confeciſtis ea, opinor, quæ ſtylus ſeculi & Curiæ fert. ergo nuper cœpta, nunc commodiùs exequi licebit. In tanta caligine Solis & Lunæ, illabere, obſecro, & radijs cœleſtibus tu, qui Cœli fruſtum videris, tenebras ignorantiæ parumper diſcute. Summum apud memorem beneficium pones. ALPH. Vt moleſtus mihi fuit interpellator iſte Garzon! proponebat odioſa, & coalitura in ſpiſſas invidiæ nubes: unde quid exſpectem, niſi tonitrua & fulmina? fatui cudant fabas in proprium caput caſuras. proinde celerrimè expedivi ambiguis verborum blandimentis. Scilicet pararium aut procum agam! ut ne fraudem notemus, affundunt ſuaves nebulas. quanto ſuaviùs noctes ſtellatas contempler. DID. Et quid ni etiam Eclipſes qualeſcunque obſerves, utique de prodigioſa illa, porrectam nuperrimè ſcriptionem, luſtrando evolueris. ALPH. utique, Sed ſtatim in primo Libri Ti-

tulo

tulo hæſi. nam quis unquam *Tubum Satyricum* dari audivit! nos tantummodo *opticos* novimus. Lingua & calamus, Poëtam tuum manifeſtant, in Mathematicis diſciplinis adhuc rudem Galilæum eſſe: ut, qui *Tubum Galilæi* recens inventum, nunquam uſurpaverit, illo Argolicam Eclipſin acutiùs pervidiſſet. Did. Affirmo tibi: Quid Tubus Itali Galilæi ſit, nimirum Quatuor ſatellitum Iovem ſtipantium primus ſpeculator, probè novit. Cur autem *Tubum Satyricum*, non verò *Opticum*, jam nunc cœlo admoverit; rationem ipſe reddit in argumento Poëmatis ſui: quod fortaſſe nondum legeris. Alph. Sic eſt. Sed cur Mathematicos paſsim irridet, & ludibrio exponit? ſtatim prima parte, in præludijs: quaſi populum decipiant. An Eclipſis prædicta Anno 1654. nominato tempore, ſtato die, hora definita, & quaſi ipſo momento non contigit? deinde, an cœli facies mutata Orbem non deterruit? hominum corda non perculit? Did. ſi rectè memini, non Aſtronomos, ſed I.
Aſtrologorum quorundam nimiam libertatem, & temeraria judicia damnat; fatales minas, ad uſque inſtantem Extremi Iudicij Diem; cenſuráſque adversùs Reges & Cæſares, ex uno labore unius Planetæ, eximij quidem, ſed nihil paſſuri, porrigentium. Cætera ſi quæ molliore riſu excepit; prudentes viros juxta ſecum facere vidit. S. Auguſt. epiſt. ad Ianuarium

rium 99. monet, *Mathematicorum deliramenta, cum deteſtatione irridenda eſſe.* Quod ergo piaculum! an & tu præcox Prognoſticum de hac Eclipſi datum, oraculum putas? Alph. Ne contempſeris viros ſpectatiſsimos. Did. In ſpectatiſsimos atrociter non imus: neque ſcientiæ famam vel in minima fimbria laceramus. Vivant, celebríque nomine terras impleant, cœlos ornent. Verùm hoc articulo rerum, commenta duntaxat Panicóſque terrores, quibus mortalium præcordia, ante diem, nullâ cauſsâ, nullóque eventu, ad ſolam oſtentationem diſtrinxere, refutârunt, non tam Auctor hujus ſcripti, quàm ipſimet Mathematici numero plures, ſcientiâ & famâ æquè præſtantes: diſcutienda præcipitantium puncta, ſi vis, ex autographo ipſorum recitabo. Alph. Recita Sodes, ſed tanquam ex Tabula. Did. *Primò* aſſeverabat Argolus, in meridie noctem fore, vel certè confinium noctis, tam caliginoſæ, ut ad cernendum, uſura ſolis, quippe intercepti, & tantùm non penitùs extincti, minimè ſuffectura ſit: proinde accenſo cereo vel lampade utendùm. *Addiderunt aliqui:* etiam lucis aves, ſtupore quodam corripiendas, ex aëre tenebricoſo latè caſuras in terram; pennis, Icari exemplo, deorſum non ſponte fluentibus. adeóque ſolos bubonum & noctuarum exercitus, illo inauſpicatiſsimi temporis curſu, tripudium agitaturos. *Ad hæc*

mini-

minitabantur, ſeverè denunciantes, Saturnum & Martem, ſonticos Planetas, ſolem in ſupremo cœli gradu (quid triſtius?) deprehenſum, & quidem in corde Leonis (quid indignius?) in Domo majeſtatis ſuæ (quid periculoſius?) violenter aggreſſuros. qualis aſtrorum non tam conjunctio, quàm hoſtilis concurſus, à conditis ſideribus nunquam acciderit. *Tertiò.* conflictum hunc eclipticum, Mundi nutantis ruinam, biennio pòſt, hoc eſt, anno quinquageſimo ſexto, haud dubiè ſecuturam, cum internecione omnium rerum. ne tantùm verba viderentur dare, dederunt & rationem, eundo ad mundi primordia. nam ab ortu natalis ſui, inquiebant, fluxerunt *anni mille ſexcenti, quinquaginta ſex,* quum aquis perijt, diluvio Noëtico. videtur idem numerus fatalis in reciprocum occaſum, ut elementa contraria reſpondeant, urgere periturum modò ignibus. Quo argumento, vt efficaciùs furerent, inſuper Romani caput Imperij, & Domum Auſtriacam Turcicæ Tiaræ cœperunt tranſcribere. Ain tu? conſentis hiſce vatibus? jam octavum annum poſt hæc vaticinia vivimus: ſed illorum eventibus nec micam veritatis acceſſiſſe videmus. Quàm audacter, quàm faſtuosè, quàm pancraticè, ut ne dicam, propudiosè talia in vulgus ſparguntur, à ſortis tuæ tribulibus! miratur igitur Poëta, & quærit: unde hæc protervia divinandi, ſine ſtimulo motú-

que

que altiore? *iam ſeculorum finem appetiiſſe:* ſcilicet hoc ipſum judicante naturali neceſsitate ſiderum! cùm illum ultimum & decretorium Diem, *præter æternum Patrem* nemo ullus noverit. Miratur præterea, quòd hi ſcioli, Cimmeriæ noctis horrorem interminentur ex unica (eſto exotica) eclipſi Solis, qui ad aliquam moram totus obſcurari nequit: multò minùs omnem lucem penitùs auferre. cur omnia ſuſque deque vertenda exiſtimârint, modico defectu communis Aſtri: quod alioqui ſtato tempore, poſt veſperam, nobis legitimè ſemper ſubtrahitur, nullo prorſus damno. ſcilicet tam formidoloſa ataxia omnium rerum, ſicut perhibebant, quantavis licèt interpoſita ſubjectione Lunæ efficeretur! Vnde
2. autem tam atrocia terriculamenta? *Saturnus Falciger*, inquiunt, & *Mars armiger* (quàm nos in ſpeciem erudita figmenta demulcent!) obſident in arcto cohibitum Solem, Regem Planetarum. O periculum! ſtringit nimirum argumenti nodus Gordius. ergo Mundus hoc ipſo ruet. Ex quo cœlo, quibus argutijs, aut enthuſiaſmis hauriuntur iſta præſagia? pompam magis redolent, quàm veritatem. ut multum virium utrique Planetæ, etiam ex veſtro armamentario concedamus; tamen ſecundùm publica ſcita, Saturnus naturâ ſuâ frigidus, fervidi Martis calorem utique temperat; inque vicem, Mars luxuriante flamma

tor-

torrentior, Saturnium torporem excitat: ex quo mutuo juvantium ſemet auxilio, mitigari potiùs tempeſtatem, quàm ad extrema deduci, vero mihi ſimilius eſt. Quomodo olim Romani conſules, belli domíque, amiciſsimè dignitatem partiti, diverſos & verò ſæpe adverſos genios, ſic jubente ſenatu, temperavere. Quid igitur periculi ab iſtis non omnino inimicis ſubſeſſoribus? aut ſi inimicis, certè ipſa hoſtilitate mutuam nocendi vim retundentibus. Deinde, iſta nomina Martis & Saturni, nonne figmenta ſunt Poëtarum? qua fronte autem damnatis auctores fabularum, quas fovetis? ſi ipſimet ludibria ſua in vobis aliquando derident, jure ſuo hoc facere videntur. Quid ſi ardentem Gradivi globum Venerem appellâſſent, quod æque poterant, non una de cauſſa; quippe incendia Mundo latiſsimè ſpargentem. num & Venus ſtrinxiſſet arma? vertiſſet urbes? cædibus miſcuiſſet populos? at enim jam ut beneficum ſidus celebratur: quia feminæ pellicis & fecundæ nomen, ille globus apud utroſque obtinet, illecebroſis fulgoribus conſpicuus. Sed & aſtrum, quod *cor Leonis* vocatis, ignivomas cœlo jubas effundere creditur: &, quia Leo rex ferarum eſt, ideo magnanimum, generoſum, regium, pollens. hinc, nonniſi ſumma capita Cæſarum Regúmque, aut illuſtrium bellatorum galeas ferit. Quid ſi *cor Lupi* fuiſſet nominatum, *ſi Lyncis*, 3.

ele-

elephanti, & quid ni etiam *Turturis?* Tunc enimvero cor hujus aſtri, quà lupinum erat, veſtris auſpicijs prædones foviſſet: lynceum, faviſſet ophthalmicis. ſin elephanti; Senatorum corda,& quotquot à conſilijs Principum ſunt, prudentiam deſignâſſet. ſub Turturis ſtellati ſigno gemerent pupilli & viduæ. hæc & ejuſmodi plura, timidè credentibus, non timidos riſus cient. quale enim & iſtud eſt? prout cœleſtium facum Syſigia diſponitur; prædicunt *Paranymphi* veſtri matrimonia; Genethliaci fortunam, Martiales prælia, menſores annonam, veſpillones funera. Qua fide? obſecro. quibus divinitatis ſtimulis acti occupatis venturi ſcientiam? qua audacia in futurarum rerum caliginem, etiam Superos propiùs arcentem, immergitis oculos? qua verò oris fiducia, ex his nebulis ſecretiſsima quæque depromitis avidis mortalibus? niſi fortè, quia volentes decipi, fallere non erubeſcitis. ALPH. Video te, Didace, cum Poëta tuo, in maximo errore verſari; neque expedire poſſum,

4. niſi priùs utrumq; Theoriâ Planetarũ imbuam: ut ex eorum noticia, in ſidera erecti, Mathematicorum ſpiritum hauriatis. An auctorem Naturæ, tam immenſa corpora, putatis fruſtrà in Mundo, ac penè gratis poſuiſſe? DID. Neutiquam. perge: vacivas aures præbeo. ALPH. Pone igitur tibi primò ante oculos Solem & Lunam, qui totum nobis negotium,

ac præſertim hunc Dialogum faciunt. Sol, *vas admirabile*, de quo omnis rerum pulchritudo vigórque ſecundæ lucis, tanquam ex formoſo Oceano manat, ille fons vitæ, & ſummæ mentis in hoc Vniverſo præcipuus adminiſter, in omnia diffundit ſalutares radios. & quia Terram magnitudine ſua centies & quadragies continet, inexhauſtas vires, in intima ejus viſcera, efficaci conſtantia propagat. Did. *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* ut meritò dicatur Pater luminum, artifex operum, Penicillus Numinis, mille coloribus in voluminibus nubium ludentis: plectrum ſupremi Phonaſci, nunquam permittentis *dormire concentum cœli*: proinde cœleſtium chorearum æquiſsimus Moderator, Princeps temporum, ſiderum rector, metator anni; omnigenæ varietatis in herbis, floribus, metallis auctor, altor denique illuſtrium ingeniorum. Alph. Ceſſa.. hæc efferenda altiùs, mihi debebantur. à Poëta tuo inſtinctus es, ut præoccupares, vel dicenti influeres. Dixiſſes uno verbo: Solem eſſe Præpotentis Dei maximum & immortale ſimulacrum: tale quidem, ut nimis ſtrictam oculorum aciem curiosè intendentibus timendum ſit, ne *ſcrutator maieſtatis opprimatur à gloria,* Nullius debitor, omnes Planetas debitores habet. Ex illo hauriunt, quòd micant; quòd videntur; quòd aliquod nomen habent. Quid dicam de ſtellis, *viam lacteam* 5.

ſtipan-

ſtipantibus? an non perpetuò ex aſpecti ſolis ore, velut ex ubere lucis ſemper pleno, ſcintillas ſuas quaſi ſugunt? Brevi: Solem ſcito omnium Aſtrorum & maximè Planetarum delicium, refugium, nutritorem, ac *centrum* eſſe (non tamen eo modo, quo *Copernicus* edixit) exceptâ Lunâ. Quare circa ipſum per ingentes epicyclos, ac ſpirales ductus moventur. Dominum agnoſcunt: ſe vectigales & tributarios profitentur. humano more, ad politicum canonem; accedunt ſupplices, recedunt divites: ut poſſunt, blandi demulcent, famulantur obſequioſi. certatim, ut liberaliſsimum Regem cingunt. totus Zodiaci cœleſtis circulus, duodena ſigna peragranti, pro corona eſt. DID. Liceat interfari, Doctiſsime vir. perquam nitidè ſiderum principem laudâſti. ut non tam Perſius mihi, quam Perſa videaris, cultor Mithræ, eidem Sacerdos thura laturus, ſi vera Religio permitteret. Quo in encomiorum genere conferendo, prorſus cum Poëta noſtro facis. aut ille olim eadem canens, inſpexit in animum tuum, aut tu ejus ſcita requiſiviſti. Ille in Theſibus, quæ ſex Dierum opus declarandum propoſuerant Ingolſtadij; Solem, ſicut rogatus erat, ſibi ſumpſerat celebrandum adhuc Iuvenis, Academicæ Diſputationis Argumento floridum carmen ſubſcribens. in quo Regij ſideris dignitatem magnificis laudibus extulit. nam & Auguſtiſsimo

Cæſa-

Cæſari Septemvirale Collegium temperanti comparaverat; & Dictatori Romano: penès quem omnis ſumma rerum, ac Reipubl. ſalus ſtabat. libet audire? recitabo. Alph. ut qui maximè. recita. Did. In hunc modum cecinit.

SOL, qui cuncta vides: & me tua Regna canentem
Aſpice, non mæſto vultu pluviiſque madente
Luridus ac pallens: Sed qualis amaris ab ipſis
Vatibus; & ſupplex optat ſibi Perſia votis
Formoſum, ſimilémque tui. nam, judice Mundo,
Par ſolus potes eſſe tibi. Dominaris in axe
Arduus, & tanto cœlum ſe CAESARE *jactat.*
Phœbe Parens, Cœlum eſt tua maxima Roma: nec ullus
Audeat eſſe Cato, Pompejanúſve Planeta:
Affectare manu ſceptrum, vel aperta movere
Bella per ætherios minimè civilia campos.
Perpetuus DICTATOR *ades. Pharſalia nulla eſt,*
Quam timeas; nullus conſors: omníſque poteſtas
Temporis ac lucis, fontem revocatur ad unum.
Solus habes aquilas, trabeámque, & cætera toto
Sidera ſparſa Polo, parvorum jura Quiritum
Imperio frenata tenes. Tua magnus ORION
Enſe latus cinctus circùm prætoria lictor
Excubat, & faſces præfert, populíque tumultum
Submovet, & minimum ſtellarum ignobile vulgus.
Dignus adorari CONSUL. *tua digna videri*
Pompa, triumphales quoties duodena per Arcus
Signa viam carpens, lætis & ovantibus aſtris,
Zodiacum penetras. Tunc toto pulcrior ore
Surgit honos, oculíque micant, flagrantiùs auro,
Ceu Soles de Sole ſuo: nimiúmque venuſti
Illecebris, multúmque tui. ſine muricis uſu
Perfundit bis tincta chlamys, radiatáque totum
Purpura circumdat. placido gemmata pharetra

Spicula ſubſiliunt motu. caput ardet honeſtum
Majeſtate ſua. blando Diadema nitore
Fulgurat; & crines redimito vertice florent.
Ingrederis medius Procerum ſtipante coronâ.
Hinc IOVIS *attoniti ſeſe venerabile ſiſtit*
Obſequium. poſito faſtu ſervire paratus,
Poplitibúſque minor, nutus agnoſcit heriles:
Permulcétque manum, placatáque fulmina dextrâ
Porrigit, áque tuis vinci ſua tela fatetur.
Inde fatigatis pedibus CYLLENIVS *adſtat.*
Aula verna tua. ſequitur tardante ſenectâ
SATVRNVS, *junctóſque globo moderatur ephebos.*
Ponè GRADIVVS *agit turmas, ſeriémque locorum*
Mutat, & ex una, qua vult ſtatione, relicta
Translatus, mox antè volat; clypeóque coruſco
Protegit ingentem Dominum. deſerta maritum
Inclamat CYTHEREA *ſuum; lentáſque columbas*
Vrget, & inclinat feſtivos Heſperus igneis.
Aeternùm devota tibi, juratáque tanti
Cæſaris auſpicijs famulari ſidera gaudent.
Nec gratis. nam ſemper alis, veſtíſque decorè.
Scintillant mercede data: pretiúmque nitoris
Annumerant, quantum capiunt; largíſque profuſus
Sumptibus, argento præſenti debita ſolvis.
Hinc certus civilis amor. nam cuncta gubernas
Vitali fulgore fovens: nulli que neceſſum
Mendicare faces, proprior qua ſtella miniſtrat.
Te ſine cæca forent & inania monſtra, Triones,
Et Gemini, virgóque tuo vicina Leoni.
Tu ſidus rugire facis: tu lumine vivo
Das Veneri venerem, Martémque accendis amore.
Quid memorem, quòd tota tuo Natura ſereno
Rideat, & dulcem, quando ſubmergeris, ortum
Auroræ lacrymis per cuncta madentibus arva
Exorare paret. Crocco ſimul atque cubili
Conſurgis, pectíſque comas; ſimul omnia turgent
Afflatu percuſſa tuo. pubeſcere Tellus
Incipit, & virides ſilvæ volucréſque moventur.

Et

Ex his agnoſcas, licet, duarum mentium ſenſa ſæpe conſpirare. *Alph.* Ain tu, hæc cecinisse juvenem? *Did.* Ajo. ſcis ipſe, tempeſtiva Vatum eſſe commercia, & Phœbi eorum Præſidis. utique: quando idem Numen, quamvis remotos montes, Olympum & Parnaſſum, radijs ſuis illuſtrat. *Alph.* cur ego primò Solis faciem expinxerim: deinde potentiam atque divitias tanti Monarchæ oſtentaverim, poſtea intelliges. Nunc ſororium Aſtrum, citimum nobis inſpiciamus, LVNAM: 6.
Terrâ quidem, (ſicut ex ejus umbra, quam vicina vaſtiùs ingreditur, colligimus) quadragies minorem: cæterùm mutationibus vultuoſis, hoc eſt, conſtantiſsima inconſtantia, certiſsimóque errorum numero; (omnes quippe Planetarum errores ſtati ſunt & harmonici) inſuper cornibus tanta varietate creſcentibus iterúmque minuendis iterúmque augendis; adhæc, virtute agendi patiendíque prorſus admirabilem. Quaſi vicariam Solis, ſimul ejus face delibatum cornu extendit, omnia generanda & genita experiuntur. Calefacit, illuminat, & noctem quodammodo diſpeſcit. non fugat, ſed decorat, formoſa *velut inter ignes Luna minores,* ut Flaccus canit. mutuato lumine fecundat omnia, & ſtimulat ad maturitatem. immò in regionibus, quæ ad Polos propriùs accedunt, ſi Cardano fidem habes, tanquam Regina temporum, hyemes & æſtates, ex

ſuo quoque aſpectu, decernit. Maculas, quæ in ejus globo cernuntur, nihil aliud eſſe putes, quàm partes rariores, quæ tranſparent, luménque Solis admittunt quidem, ſed non ſiſtunt. Plura memorare, huc non pertinet, nec tu requires. *Did.* Proximum eſt, ut de SATVRNO & MARTE referas, hos enim Satellites odioſiſsimè deſcribit Argolus, Catilinarijs facibus Solis quaſi jugulum petituros. etiámne ad aſtra perfidæ ſeditiones pertingunt! *O tempora! O mores!* O tempora, inquam, quæ PATER TEMPORVM pati cogitur. Hoccine ſolis Imperium, quod tu & Poëta commendabatis, tam bene, tam politicè, támque ſolerter ab opifice Mundi inſtitutum; ut inde Rom. Imperij Majeſtas ſuam ideam acceperit? *Pacem ſumma tenent*; Veterum aliquis cecinit, & ipſe Romanus. Quis novus Enceladus Superos turbat, ſæviorem gigantomachiam captivis invehens? patietur ergo Rex ſiderum obſeſſus à ſuis, quod Rex Darius à perfido Beſſo? ſed vos Aſtrologi ejuſmodi Fabulis populum deluditis. Quaſi verò cœleſtia mortalium curis affici, & humanis nugis aſsimilari deceat! *Alph.* Audacter tu quidem iſta. Sed totum cœlorum volumen, cum precipuis incolis ſuis priùs evolvam; quàm ſanctionibus noſtris ſubſcribere invitem. Multi indocti Mathematum, imperitè judicant. Si ijſdem profundiùs imbuti eſſent, ultrò aſſentirentur. *Did.* mitigabis ignorantiam

rantiam meam, ſi promiſſa demonſtraveris. Demonſtrationes autem nemo crebriùs jactat, quàm ſcientia veſtra. *Alph*. Si perſtas, patientiam tuam meris oraculis implebo. *Did*. ut ſoletis. auſculto. *Alph*, SATVRNVM, illum ipſum, qui Soli càliganti deterrimam moleſtiam faceſsivit, inter omnes aliorum ſphæras multis paraſangis tranſcendere: ejus diſtantiam à Terra ad hujus ſemidiametros decies millenos quingentos quinquaginta pertingere, probavit Tycho Brache. *Did*. Phœnix veſter. *Alph*. non erubeſcendus, diligens, ſolers, ſumptuoſus, quippe qui in Dania, Huvenæ, Vranopoli ſua (arx erat) ducenta millia aureorum, ſagaciſsimæ curioſitati impenderit. *Did*. Num verò certam fidem in hac ſua probatione meretur? *Alph*. cauſſa ambigendi nulla eſt. Hoc parallaxis indicat: hoc Iuppiter, qui Saturnum objectu corporis ſui occultat: hoc motus percurrentis editiſsimum gyrum. Diſcas hinc rudis vulgi, & à vulgo pendentium errorem. putant planetam tardiſsimum eſſe. quandoquidem Zodiacum totum non niſi viginti novem annorum ſpacio abſolvat. Sed errant. nullus velocior. nam longitudine itineris, quod metitur, expenſo, ipsâ quoque Lunâ, quæ tamen celerrima creditur, utpote ſingulis menſibus periodos ſuas conficiens, pigritiæ damnabitur. *Did*. Cùm cæteræ ſtellæ rutilantibus comis florere videantur:

tur: cur præcipua, ut dicis, livido & quaſi plumbeo colore, ſenili vultu, canicie inculta horrere traditur? *Alph.* Iam dudum exſpectaveram, ut quæreres aliquid dignum te, & contemplationibus noſtris, ſupra plebis ſubſellia evehendus ad Cœli convexa. Cauſſam quæſtionis tuæ in promptu expediam. Planeta iſte, cujus mentionem feciſti, ſolitarius, quoniam à ſole, tanquam perenni lucis ac lætitiæ fonte remotiſsimus, vagatur; idcirco minus etiam radiorum haurit, quos traijcere ad nos poſsit. *Did.* Quomodo igitur agendo tam efficax, ut calidioris naturæ Planetis longè potentior, per immenſa ſpacia, terris prævalens frigus inſinuet? morbos, triſtitiam, morúmque aſperitatem inducat? experimur autem, frigida habitudine impeditis corporibus, quàm minimum energiæ & virium ineſſe. *Alph.* Alia terreſtrium corporum, alia cœleſtium conditio eſt. neque aſtrorum vis examinanda ad modum glebæ ſub Luna jacentis. accedit immanis magnitudo Saturni. nam tricorporis eſt formæ, terrámque vicies & bis adæquat. *Did.* prô horror & tremor! aſſentiri me cogis. credo: ne adhuc grandius aliquid miniteris. quanta enim erit falx Saturnia: qui Orionis enſe jactatis Terram centuplo majorem dividi poſſe, uno ictu. Nulla mediocritas apud Mathematicos regnat. Surgere mihi jam incipiunt crines. Perge ad MAR-

TEM,

TEM, ſi lubet. hic alter infeſtusSolis eclipt ici proclamatus obſeſſor, utique non humilior am rhomphæam furens coruſcabit. *Alphonſ.* Si cum Orione conferas, cedet. quippe ter decies à Terra continetur: Sicut Mercurius undevicies; Venus ſexies. *Did.* Et Iuppiter? quandoquidem cæteros nominâſti. *Alph.* Hic enimvero Terram quaterdecies ſuperat; ſi Tychoni Dano credimus, in ſua Vranopoli ſplendidè habitanti. *Did.* ut credere fas eſt. *Alph.* Cæterùm MARTIS præferuidum ſidus ac prorſus igneum, mira vertigine ſupra infráque Solem rapitur: per labyrinthos & flexus penè inextricabiles, omnium Mathematicorum ingenia fatigans. Qui teleſcopijs utuntur, obſervârunt, inſtar ardentis Veſuvij æſtuoſum, continuò quaſi undantes flammarum globos eructare. Hinc propter caloris ſiccitatíſque intemperiem naturæ infeſtus: in conjunctione Luminarium vehemens, & ſæpe horrificus. percellit inferiora: in hominibus ſanguinem adurens, bilémque inflammans. unde furor, iracundia, bella, inimicitiæ. Feſtino ad proſperos Planetas IOVEM & VENEREM. nam MERCVRIVS infidum ſidus eſt, & omnium horarum malæ ſocietati colludit. bonam nactus, æquè ſe virum bonum præſtat. Et Iovis quidem tali, ut proverbio conſtat, ſemper feliciter cadunt. ſub illo naſci, optabile. Soli & Lunæ configuratus

levat corpora, mulcet animos: omnia exhilarat, temperatus, aërius, ſanguineus. fugat nubila, ſerenitatem adducit. ut mirer, quibus cauſſarum ſtimulis perciti Poëtæ, Iovem Tonantem finxerint, fulminibus armatum. *Nihil illo aut ad vitam efficacius, aut ad alacritatem jucundius.* quod conſequitur; ingeniis & moribus formandis aptiſsimus, mortalium votis meritò expetitur. Veneris autem ſtella, quàm benigna & genialis! humidi convenientis temperamento gaudet. *ideóque non ſolùm Lunæ ad fovendam humectationem, ſed etiam Soli ad informanda corpora deſervit.* Vis, ut & Mercurium deſcribam? jam dixi, deſultorium ſidus, acutum humorem excitare ſolet in corporibus: ſubtili penetratione
7. ingenioſos efficit. Addo pauca de motu ſtellarum Fixarum. quarum illæ, quæ *primæ magnitudinis* vocantur, Terram ſeptuageſies continent. ſive enim ſolido firmamento quaſi clavi inhæreant, ſive in permeabili cœlo ſolutæ moveantur, (ut piſces in lacteo mari, aves in aëre) certum eſt, diurno motu, ut cætera circumagi. ſtatæ ſunt: eoſdem ſemper vultus, eandémque formam referunt. aciem ſuam ſervantes mirabiliter inſtructam, cùm innumerabiles ſint, confuſionem nullam faciunt. DID. Diſſertationi tuæ, vera utique & magnifica promenti, vir clariſsime, nihil repugno. *Cæli, Sapientiam DEI & potentiam,*

ut ſcimus, *enarrant*. Quid autem hæc, quæ erudité facundéque in medium protuliſti, aſtrologorum ſcita, ſive volubiles ſtrophas; & in primis Argoli Prognoſtica, quibus Mundum ſub Eclipſi ſua laborantem temeré aggreſſus eſt, juvent; nondum intelligo. ALPH. Veniamus ergo ad rem. An tu credis, tantas & tam illuſtres ſtellarum turmas circa nos otioſas eſſe? DID. Minimè. ALPH. Et præſertim illæ, quæ in excelſa Mundi ſede collocatæ, multa mortalibus quaſi de altiore ſuggeſtu pronunciant. DID. ſuſpicio. ALPH. Circumſpice hoc univerſum. nihil, ex omnibus rebus, tantùm unum uſum habet, ne viliſsimum quidem membrum corporis humani: & cœleſtium unicum officium erit, lucere per noctem? Solis, per diem? Teſte D. Auguſt. lib. 22. de civ. Dei, cap. 24. *Nihil videmus creatum in corpore, utilitatis cauſſa, quod non habeat etiam decoris locum, &c.* Caput humanum conſidera. quanta in eo dignitas, venuſtas, utilitas! partes expende. omnia tria ſemper concurrent. De *oculis* dubitare, piaculum eſſet. Quid dices de *auribus?* utilitatem illis nemo derogabit. at ego ornamentum quoque eſſe pronuncio. ſcitare à mutilatis & ſaucio Malcho ſimilibus: (quorum furta nimirum nondum quidem ad laqueum & gladium, ſed tamen ad carnificis cultrum pervenerunt) cur damnum abſciſſarum aurium pro- 8.

B 5. lixiore

lixiore capillitio celent. Aliquis certè (Claudius Barando dictus) jam aliquoties huic mulctæ obnoxius; cùm effuſis ideò crinibus tempora velaret, ignominiam vitaturus, lictori infeſtiùs amputanda conchylia ſcrutanti, ridiculè admirans reſpondiſſe fertur, quod olim Mezentius Aeneæ: *Hoſtis amare, quid increpitas?* quam partem auditûs mei rimaris? nonne duas auriculas projeciſſe ſat eſt? Natura, omnium largiſsima Parens, plures non dedit: & tu plures requiras? demeſſæ haud recreſcunt inſtar graminis. prævenerunt alij prædones. Spicilegium ad te ſerum pervenit. DID. Et huic furi quidem ſic jocari libuit! duas duntaxat aures, ſcimus, poterat amittere; ſed laqueo merebatur citiùs unum ejuſdem collum innecti. ALPH. Immò enimvero niſi vitas hominum negligimus, feſtivo ſuo dicto merebatur abſolvi. ex quo intelligas: nebulones quoque, cætera famæ & vitæ contemptores, ſcire tamen, quod membrum perdidiſſe, non ex magnificis unum, nihilominus dedeceat. De *naſo* quid dicam? projectum in humano vultu membrum, ſi non & abjectum judices, tolle: deformaberis. non emunges: cerebrum fæces implebunt: quæ, niſi evacuentur, machinam inferiorem ſubmergent. caput in continuis nubibus tempeſtates & fulmina cudet. an putas omnes inſanire, qui tabacum ſumunt? Hæc de utili.

Hone-

Honeſtum expende: quod hîc cum Virgilio & cæteris Poëtis *Pulcrum* voco. quæ dempto naſo abſurdior facies, ſi planior ovo eſt? unde Tros Anchiſiades apud Poëtam defiet Deiphobum: *populatáque tempora raptis Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nareis.*

Ecce, *inhoneſtum vulnus* vocat, truncarum narium dedecus. Summa quidem pulcritudo in oculis. naſo autem dempto, facibus jactis nihil impetrabunt. ſentient conſortia damni. neque munere ſuo ritè fungi poterunt. diaſtimate ablato, oculorum fulgor abludet; alter alterum divaricando pupulam, impediet. DID. Quorſum iſta? ALPH. Vt à fabrica Microcoſmi conſurgas ad Macrocoſmum. S. Auguſtinus Deum inquiſiturus, nonne ab immis ad ſumma aſcendit? Audi, quæ in ſoliloquijs dicat. *Circumibam enim omnia, quærens te: & propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram, ſi eſſet DEVS meus: & dixit mihi, quòd non. & omnia, quæ in ea ſunt, hoc idem confeſſa ſunt. Interrogavi mare, & abyſſos, & reptilia, quæ in eis ſunt, & reſponderunt: Non ſumus DEVS tuus; quære ſuper nos eum. Interrogavi ſtabilem aërem: & inquit univerſus aër cum omnibus incolis ſuis: fallitur Anaximenes; non ſum ego DEVS tuus. Interrogavi cœlum, Solem, Lunam & ſtellas: neque nos ſumus DEVS tuus, inquiunt, &c.* DID. Necdum capio, quò tendas. 9.

ALPH. Vides Præſulem Hipponenſem, non contentum fuiſſe humili gyro Terræ, cæteriſque feracibus Elementis, ut deſideratum Numen inveniret: verùm adhuc ſublimiùs animi contemplationem ſuſtuliſſe. tametſi conditor ex omnibus rebus conditis, aliquo ſaltem modo, ſigni vel veſtigij reluceat, ſollicitavit ipſa
10. ſidera, tanquam nobiliora Divinæ Sapientiæ ſigilla. talia autem non eſſent; ſi omnis nobilitas illorū unius ſimplici pulcritudinis modulo conſtringeretur. ſupereſt ergo, ut ijs præter inſignem formam & incomparabile decus luminum, arcanas vires agendi, influendi, mira patrandi concedamus. proinde fulgent, ornant, monent, proſunt, humectant, calefaciunt, exſiccant, fecundant, docent, ſignant, illuſtrant, terrent, mulcent. confuſa & diſtincta multitudine beneficiorum, tantùm non obruunt ingratos mortales: haud digna in ſummis Mundi partibus collocari; ſi hoc facere non poſſent. ſcilicet tot aſtra conſpicuæ varietatis, diſtincti nitoris, tam ordinato & mirabili concentu voluantur, ut amœnam tantummodò redditura noctem, criſpatis ignibus pingant! quilibet Planeta in peculiari cœlo, velut palatio ſuo, regnabit, ut tantùm currat, mendicato luceat! ſi ſtellarum multitudini, earúmque noticiæ nil virium tribuimus: cur igitur ſapientiſsimus Salomon Sap; 7. & 8. gloriatur; *ſe à DEO accepiſſe ſtellarum*

diſpo-

diſpoſitiones, & tenere ſcientiam illam, quæ de futuris æſtimet: ſciat monſtra & ſigna, antequam fiant: eventus quoque temporum & ſeculorum. Noverat ille, ne dubites, motus aſtrorum, defectus Luminarium. Per crinitas ſtellas, & maximarum Eclipſium minas, pérque altiſsimorum Planetarum conjunctiones ſciebat; *unde bella & clades impendederent: unde fluvij tumerent, & exundarent maria: unde inſanæ hyemes, & calores ardentiſſimi; unde diluvia, conflagrationéſque terrarum: unde anni amœni & triſtes; pingues & macilenti: unde ſeditionum faces, & novarum ſectarum virus, unde flagella, & flagellorum ſolatia. unde pax & libertas, & annona, & morbi, & ſanitas.* In cœli quippe tabulis, per ſigna & oſtenta, quid ſit facturus in terris Deus, ſignificat. DID. Equidem Fata admiſerim naturali philoſophiæ conformia. mutationes ad agriculturam, artem nauticam, medicam ſpectantes. motus item animorum & propenſiones: nulla tamen neceſſitate pronunciata conſtringentes. ſed nondum perſuades, ex aſtris, una alteráve eclipſi etiam maximâ, futura certò cognoſci, aut prædici poſſe: ut, vaſtitates regnorum, conſpirationes adversùs Monarchas, mores hominum, atque fortunas: ſed neque peſtem, famem, bellum; nedum occaſum Mundi. ALPH. II.
pol! Nimis multa commiſces. Liberum ar-

bitrium, & quæ Devs ſanxit, à ſideribus eximas. cætera non item poſsis: neque tamen facio cum Aſtrologis judiciarijs, aut inſulſis Genethliacis, qui vaniſsima ſpargunt in vulgus, quàm ſuperſtitioſa, tam ridicula: ut horrorem probis, odium ſapientibus, nauſeam omnibus pariant. cum his, inquam, Planetarijs trivialibus non facio. at ſi propter abuſum omnis tollendus eſt uſus: jam nulla Dei dona, nullæ ſcientiæ, nullæ artes ſecuræ fuerint. proſcribas, licet, & Theologiam: Hæreſiarchas peperit. proſcribas philoſophiam cum æternitate Mundi, immortalitate animæ, aliiſque articulis Catholicæ Fidei luctantem. Deijcias Roſtra Rhetorum cum vaniloquentia ſua; Poëſin cum eroticis verſibus & Mileſijs fabulis; Muſicam cum inanium Deorum hymnis. Vix autem vnquam aut rarò contingit; ut quod non una urbs, non una provincia, non una gens; ſed qui toto orbe diffuſi ſunt populi, agnoſcunt & credunt, inter falſarum opinionum commenta numeretur. At iſtud omnibus penè hominibus inditum eſt, ut patent eſſe ſigna quædam in cœlo, quæ nos erudiant: eſſe cauſſas, quibus multa in rebus inferioribus naſcantur. Lege ſi vis S. Thomam, qui in opuſculo 21. Fratri Reginaldo ſollicitè de hac re interroganti in hunc modum reſpondit. *In primis oportet te ſcire, quòd virtus cœleſtium corporum, ad immutanda*

tanda corpora inferiora ſe extendit : & ideo ſi quis aſtrorum judiciјs utatur, ad pranoſcendum corporales effectus : puta, tempeſtatum & ſerenitatum aëris ; ſanitatem vel infirmitatem corporis, & ſimilia, qua ex naturalibus & corporalibus cauſſis pendent ; nullum videtur eſſe peccatum. Si Solem & Lunam in hæc inferiora agere conceſſeris : cur non & cæteros Planetas, omnéſque ſtellarum choros. aſtra á Deo condita eſſe in ſigna, líquet ex Geneſi. DID. Non negaverim aliqua in ſignum 12.
ſtatui, quædam ex iјs prænunciari poſſe. ſed multi veſtrûm quaſi Deorum videri volunt occupâſſe imperium ; & ipſius Diphtheram Iovis, tabuláſque Fatorum inſpexiſſe. Fabulantur ineptiùs, quàm Poëtæ mediaſtini de Parcis, á quarum colu & forfice univerſæ vitæ fila pendere finguntur. reperies Chaldæum dicentem : Dummodo momenta primúmque halitum pueri naſcentis in lucem noſcam, edicere non verebor illi ventura, læta ſive triſtia, dulcia vel amara ; non more enthei vatis (nullo enim mihi ſtimulo opus eſt, aut œſtro) ſed intelligentis circuitus & virtutes ſiderum : ex quarum formatis domibus certò eliciam, quæ ſperet, quæ timeat. ajo omnia humana ad aſtrorum motus regi, illíſque vim ineſſe, quæ ut ætates & ſecula definit, ita uſurpantibus illa proſperos ſucceſſus, vel lævos eventus, prout nato fulſerint, diſpoſuerunt. Hæc

ubi :

ubi: finget ſerpentinos characteres, & chartam variis apicibus, in ambiguam tamen interpretationem potentibus latiſsimè cruciabit, mercenarias amphibologias, immò opulenta mendacia pro oraculis venditurus. Quænam hæc fingendi libido? ſic abuti miſerorum hominum patientia & marſupio? nega, ſi potes, hoc fieri. ALPH. Genethliacorum plurium arrogantiam, cum pari inſcitia & ſæpe nequitia conjunctam non probo. Cæterùm genialibus ſtellis nimium tribuere, vel omnia derogare, puto paris eſſe dementiæ. certiſsimò credas, deprendi ſtationes nexúſque Planetarum proſperos & infelices: quorum aſpectus infantem ſerenior ad divitias & ſceptrum evehat; moroſior & nubilus ad ligonem & ſiliquas damnet. hunc enſis, hunc feræ devorabunt: illum mitior ſenectus exſolvet. itaque Horoſcopis omnem fidem fruſtra abnegaveris: qualem verò imperiti & ſtolidè feroces exigunt, æquè imprudenter totam annues.

13. DID. Ego autem nullam prorſus puto concedendam: apoteleſmata ipſorum prorſus abiicienda eſſe contendo. Quid conijciant ex aſtris? cùm effuſa cœli rapiditas, ſingulis momentis, avolantium ſiderum ſtatum longiùs vehat & mutet; promiſſa & minas incerta vertigine confundens. Celeritatem immenſorum orbium quis comprehendat? vix cogitatione concipere poſſumus; ne dum certi aliquid

ex

ex volubilibus horum ſpiris deducere. ALPH. Nihil evincis. moventur quidem cœli rapidè, ſed per immenſa ſpacia moventur, ut rectè ais. hoc ipſo vanè exiſtimas, per ſingula momenta ſic mutari cœli faciem, ut alia atque alia naſcentibus fata imponat. *nimis extra artem eſt, credere, ſic cœlum verti, ut nullum annotandis ſideribus relinquat locum. nam ſive motum diurnum conſideres, ſive proprium cuiuſque planetæ; uterque iam ſagaciſſimè deprehenſus, & acuratiſſimo calculo annotatus eſt. Si omnia momentis & non horis tranſiguntur: cur umbris properantem lucem ſequimur? cur diem in horas, horam in momenta dividimus? cur æquinoctia & ſolſtitia, ſicut puncta Mathematicorum deſtinârunt, conſtantiſſimè redeunt?* cur denique Solis & Lunæ Eclipſes, propter quas hæc Diſputatio inſtituta eſt, obſervantium calculos non effugiunt? DID. De his poſtea. Genethliacorum cauſſa nondum exacta eſt. habeantur ſolaria, ut dicis. rotentur machinæ ex ingenio inventæ. Quis pater, quæ obſtetrix, dum puerpera luctatur, articulum ſtationis ſupernæ in naſciturum inclinantis obſervabit? quis illo ipſo tempore caudam ſtellæ infanti imminentis deprehendet? Dices: ut nullus deprehendat, fata nihilominus ex affluxu & vigore genialium planetarum emergere, ingeríque ſenſim ſtupentibus, etſi cauſſarum ignaris. at re-

futo. eſto enim: nobis aliqua contingunt ex certorum ſiderum poſitionibus & vi: unde Genethliaci reſcient propitios vel inimicos ſtellarum aſpectus, quibus perſtricta vel temperata regatur naſcentium geneſis? prodigunt ergo hominum fata. quæſturam falſis divinationibus exercent. Pro pedo paſtoris, ſi fortè allubeſcat, ſceptrum illi regium, per Iovem mentiti, pollicebuntur. non enim his novum eſt, etiam armentario, ut arti admirabilitatem & gratiam concilient, ex occurſu regiæ ſtellę, diadema imponendum vaticinari. Alph. Hoc vani. *veſtem ſine panno promittere!* Non ſic agunt cauſſæ cœleſtes, ut non requirant materiam, ad ſuas vires ſuſcipiendas, aptè & concinnè diſpoſitam. Radium Solis ex ſpeculis ardentibus reflexum, omnia quæ circumſtant corpora recipiunt; non omnia æquè uruntur. ramenta & paleæ longè vivaciùs concipiunt flam̃as. Quæris, cur omnes, qui Virginem in Horoſcopo, aut ſtellas regias cum Luminaribus conjunctas habent, non evadant reges aut Principes? in promptu cauſſa eſt: deeſt artifici ſtellæ materia: Domus, parentes, cenſus, amici, clientelę grandes, & ſuperba occaſio. Did. Hoc eſt, dicere: ideo non eſt Rex, quia non naſcitur rex. Quis poſſet magnificentiùs nugari? Alph. Immò verò, erunt, qui ſic naſcuntur, ſive paſtores, ſive opifices, in ſua natione primi; & cœleſtibus notis, vel in hoc ſortis obſcuro

ſcuro, aliquo modo conſpicui. Quæris; cur pluviarum occurſus ſtellarum non ſemper imbres generet: nulla in cœlo mora eſt. per aërem & nubes ſtat; quæ nondum ad partus aquarum apté coaluerunt. Did. Talia, ut ego quidem arbitror, ex alienis commentarijs affers; utcunque toleranda, ſi ſano ſenſu accipiantur. neq; enim omnia negaverim ſideribus. experimento, novimus, ad illorum motus terrena regi, definiri annos, ubertatem frugum aut inopiam portendi: jam meliùs valere corpora: jam contagijs & corrupto halitu afflari. Sortiuntur inde vitam ejuſdémque conſervandæ alimenta; atq; pro varia conjunctione, vel averſione, modò ſontico mœrore affliguntur; modò alacriore ſolvuntur lætitia. adhæc Solem, Iovémque & Venerem, inter optimos Planetas rectè ſtatuitis: contrarios, Saturnum ac Martem. Mercurius & Luna mutabiles, ambiguam bonitatem ſæpe inexſpectatis occurſibus fedant. prout enim locis inſidunt, ex quorũ receſsibus fluxus in inferiora derivatur, errantium flam̃arum vario circuitu, favores vel damna ſpargunt. ſed multi nimirum contenti non ſunt præſagitione, ex natura rei hauſta: divinatoriam ſecurim, velut ancile Romulo de cœlo jactũ, in neſcio quas latebras, & arcana, nonniſi ſuperis nota, proijciunt. Alph video, quò tendas, temeritatem arguis, ſuſpectáſq; morem docentiũ, homines, ab aſtris humores moderantibus cõcitari ad iracundiam, libi-

libidinem, voluptates, ſuperbiam, pavorem, ſegnitiem. atqui ſapientes viri, neque ſalutis ſuæ immemores, fatentur ab natalibus radijs pueros diverſam indolem, hoc eſt, teneram & mollem, vel crudam & aſperam nanciſci: cujus impetu, niſi reſiſtant, præcipitentur in vitia; refrænato autem, ad virtutis faſtigium feliciter aſſurgant. Si ſtellæ in corpora nil agunt: unde tanta in vultibus humanis, in moribus, appetentijs, geſtibus, ingenijs varietas? niſi ex impulſi ſanguinis æſtu vel torpore, quem cœleſtis impreſsio adjuvat, ſi non etiam orditur. haud dubiè turbulenta ſidera animum in ferociam, placida in ſerenam comitatem inclinant. hinc videas ſortitos ignei Martis aſpectum, feruere in prælia; pigros ab Saturno ad mœſtam ſolitudinem cogi.

14. Did. Non pervidiſti, quò tenderem. requiſitus ſum Thebis, cùm Athenis eſſem. alia ſunt, quæ me tibi committunt. In illos pugnó, quibus luſus eſt, libertatis humanæ jura convellere: graſſari in prærogativam ratione utentium præcipuam: cujus belluæ participes eſſe non poſſunt. ingenuas mentes indeclinabili fato, hoc eſt, bruta neceſsitate obrui, piaculum interpretor. Finge, aliquem ad virtutem niti velle. ſuperſtitione hac correptus dicet: Quid faciam? à præſcriptò ſiderum fruſtra conabor recedere. potentiam eorum non æquiparo. fortiora impellunt invitum.

jam

jam mihi naſcenti diſpoſitæ Tabulæ: in
quibus deſcripta ſunt omnia , quæ evenient.
obſequi cogor. imprudenter detrectabo ſive
onus imminens , ſive honorem importunum.
permittamus aſtris curſum, & ſubijciamur il-
lis. nempe hoc eſt,quod veteres Poëtæ cecine-
runt. *precibus ſimul aſtra fatigant. dupli-
ces tollunt ad ſidera palmas.* Quid ſiderum
Conditorem curem, aut timeam! ſubjecit me
ijs, quæ condidit. his igitur thura feram. his
ſupplicem pietatem adſternam. fatales cupi-
ditates, fato attributas, fato aſsignatas nemo
tenetur infringere. Hæc ſunt, quæ nos trivia-
libus Planetarijs, & Cingaris, & pannoſis Ge-
nethliacis collidunt. Diſputanti de ſphæra,in-
tra ſphæram manendum eſſet. hi tales egre-
diuntur latiſsimè. indigeſta evomunt , & fa-
melico ructu paſcunt plebem; ut viciſsim au-
rum emulgeant. gratis certè non mentientur.
Porrò Chaldæorum aſſeclas iſtos , intra artis 15.
ſuæ cancellos non conſiſtere , argumento ſit
ipſa Eclipſis Argolica, quæ huic Diſſertationi
præbuit materiam, orbi riſum. Calculo,aſtro-
nomico deprehendi potuiſſe tempus & duode-
cimum diem Auguſti, inſuper & horam , an-
nexámque diuturnitatem ; nemo eſt, qui ab-
nuat : ſqualidam item & triſtem futuram, ut
quæ corpus Solare penè totum obtectura eſſet
obſcuritate inſolitâ , coloris ferruginei, ex ni-
gro rubróque permiſti : adhæc , quia infeſti

Martis & inamœni Saturni ſatellitio cingendâ, non omnino innoxiam ſenſura hominum atque jumentorum corpora; quippe ſalutaribus radijs ad notabile ſpacium ſubtractis: unde corrumpendus vel immutandus aër, paſcua debilitanda, vigor ſubjectarum rêrum imminuendus: quæ, teſte experientia, crebrò conſequantur lues, febris; forſitan & bella bellorúmque appendices, fames, peſtis. hæc inquam, & ejuſmodi alia, tolerabili conjectura aſſequi peritos, non inficiamur. ſed adverte jam, quantis paſsibus gyrovagi extra oleam ſaltaverint, ut idola Phantaſmatum ſuorum, terrore plùs quàm populari venerabiliora redderent; ut auctoritas tantò major ſacræ caligini conciliaretur; ut denique tumultu & formidine ſuccuſſa plebs, ſtupidiùs admirari diſceret oracula novorum vatum; addidere (*per fictionem juris ignoti*) Tragico ſpectaculo exhibendo Comica interludia: 1. à Noëtico Diluvio tam formidoloſam Eclipſin nunquam apparuiſſe, neque ampliùs poſthac apparituram; revocatâ Thyeſtææ noctis memoriâ, quà tempus prandij in cœnam contrahebatur. 2. prædixere aucupium inauditum labentium ex alto volucrum, tenebris omnia præcingentibus. 3. ſtellarũ agmina, nullo Heſpero prçeunte, oculis incurſura, de medio die. proinde candelas à ſollicitis patribus, matribúſque-familias maturè accendendas; niſi ſi dormire malint. 4. Cuncta fragoribus tubarum

rum prælĳſque ac cædibus complenda. Do-
mum Auſtriacam excidio proximam, aquilam
Imperij Romani avolaturam, vix uno capite re-
tento, ſceptro & gladio ex unguibus dimiſsis.
Viennam Byzantium transferendam; (*fuimus*
Troës) quid hæc funeſtiſsima parerga? 5.
Verbo: inſtare ultimum & decretorium Mun-
di diem: adeoque Tempora, *quæ Deus Pa-*
ter in ſua poteſtate poſuit, audaciâ Promethei
ætherium ignem ſubtrahere auſi, ex ſecretiſ-
ſimo Omnipotentis ſcrinio præripere conati,
ante fores miſerorum mortalium, puerilem
Sciomachiam ſtatuerunt. ALPH. Licet inter-
fari? DID. Quippeni? ALPH. ut video, pàra-
tus deſcendiſti mecum in arenam. ſed ſcito,
Aſtrologiam certo temperamento acceptam,
non eſſe crudiùs exagitandam. Multi religio-
ſiſsimi viri, ijdémque prudentiæ & doctrinæ
laude conſpicui, æſtimant colúntque. Ne pal- 16.
liatos homines tãtùm inſimules, narro tibi, no-
viſſe me olim togatum virum, ſuavitate morũ,
integritate vitæ, contemptu terrenarum rerum
prorſus inſignem; ſed & Mathematicis diſcipli-
nis non mediocriter excultum: qui, licèt Eclipſi
noſtræ ſuperſtes non fuerit; de ea tamen ſex an-
nis antè quàm contingeret, in hanc ſententiam
auditus eſt loqui: *niſi timeret ſe deridiculo ha-*
bendum, ſi animi ſui ſenſa promeret; omnino di-
cturum; intuitu anni quinquageſimi quarti,
quo terrifica Eclipſis ingruet; intra decennium

cuncta

cuncta finem habitura. Obijcientibus, adhuc plura ſigna requiri, Adventum Domini præceſſura, reſpondit; *intra hoc ſpacium omnia conſummari poſſe.* Intelligis opinor, & pios, & eruditos, & ſubmiſsè de ſe ſentientes,
17. etiam cum Argolo facere. Did. Intelligo & hoc: pium quoque & eruditum poſſe ſuos maneis pati: ſuis imaginibus paſci. deinde ipſemet aſſeverabat, *niſi timeret* &c. Timuit, erubuit, repreſsit impetum. laudo modeſtiám. At enim malè feriati quidam, ruptis verecundiæ repagulis, liberrimè pronunciârunt ab omni humano ingenio ſubducta, cùm nullus ignis fatalis urgeret, nullius arſuri indicia apparerent; jam horum judicio flagrantiſsimo, totus orbis in cinerem redigebatur. non exſpectârunt prodromos, quibus ingruentibus *Dies iræ, dies illa ſolvet ſeclum in favilla, Teſte David cum Sibylla.* Hujus rei indignitas Poëtæ noſtro pharetram expedivit, arcum & calamos in manus dedit. Quæ idcircò ſtrictim commemoravi, ut oſtenderem, quàm lepidè ſimul & inficetè peccent Mathematici Sphæ-
18. ram egreſsi ſuam. Naturalia documenta non culpamus. pulcherrima inventa ſuſpicimus. ſed extra vim humani ingenij poſita noſſe velle, & multò magis temerè prædicere, dementia eſt. Cæterùm ecliptica ad ultimum reſeruemus, redeamus, unde digreſsi ſumus. Aſtrologos illuſtriſsimo honore dignos judico, quam-

quamdiu judiciariam contumacem non exercent: neque in fata irrumpunt, & penetralia liberi arbitrij: dúmne mortalium Geneſes certâ inſcitiâ, aut ut molliùs loquar, incertâ ſcientiâ infeſtent: dúmne quid futurum ſit, perverſa curioſitate inquirant. Vtque membratim tibi indicem, quid diſpliceat; nego ab aſtrorum violentia cogi quemquam ad impiè agendum; ad cupiditatem honeſtam erigi vel pravam detorqueri. quod ſi mecum neges, quomodo faſtorum præſagia ab humana libertate pendentium ſtabunt? addo: intelligi non poſſe, quæ ſidera, & quomodo, quáque via & meatu cunabula infantium percurrant. quò igitur divinatrix Aſtromantia? proinde nego, etiam in volumine cœlorum, quantiſcunque ſtellis, velut characteribus picto, explicatè legi, ſive certò colligi poſſe fata fortunáſque hominum, nedum finem & exitum conſequentem, quem ſtatuerit Moderator DEVS; cui ſoli parent univerſa. Denique conſtantiſsimè pro levi fabula habeo opinionem invehentium neceſsitatem naturæ, per ſe liberæ. quamvis torrens omnium ſiderum, ipſiúſque cœleſtis Eridani & Aquarij inundet in illam; nihilominus regia Voluntas, fictam ſervitutem, à dominatu actionum ſuarum atque affectionum longè propulſat. argumentis & teſtimonijs agam. Tuum erit, ſicubi errem, exorbitantem intra orbitam reducere. non enim proponam, ut

doceare; ſed ut diſcam. Alph. Age, quandoquidem ſidereum hoc curriculum, cum Phaëthonte ingreſſus es. tacitum tamen riſum mihi ſæpe ciebis. Did. Ne cadam, cavebo. Dico itaque Primò: aſtra non dominari ſapientibus, ſed hos potiùs ipſis; vel in juvenum Philoſophorum Schola tritiſsimum eſt. quemadmodum annuli gemmâ contra venenum valente digitus induitur; nominatiſsimâ ſententiâ, pectus adversùs omnes Fortunæ inſultus armant & ornant. amuletum vitiorum dicas, admonens, liberum eſſe, qui peccat. ſi non liber; facinus, perdit nomen culpæ, & ſupplicium, pœnæ; virtus titulum honoris, & ſpem mercedis. Quare ridendum ſe propinaret Academicus, ſi flagitia velo neceſsitatis obumbrare contenderet, obtentui ſumpturus: in poteſtate ſua non eſſe; quo minùs iracundiæ, libidini, amoribus frena laxet, vel aſtringat. urgeri à Marte, ſtimulari à Venere. fruſtra deliria, ſecretique incumbentium ſtellarum impulſus: nemo reus, niſi conſcientia teſte. ad cœlum conditi ſumus: eo ipſum Cœlum nos arceat! qualecunque fingas obſtaculum; mens operum mandatrix, extra materiæ vilitatem, in anima radiat: nulla vi opprimi poteſt: inſidias, pericula, blanda & aſpera, illecebroſas omnes larvas deridet. innumerabiles viri feminæque, ſanctimoniæ famâ fulgentes, uſque ad contemptum ſiderum, pedibus ſuis ſubijcien-

dorum.

dorum, exarſere. Iam verò longè minùs perſpicio, qua ratione inducti quidam Aſtrologi fatales ſtellas infantibus aſsignent: ex quo momento computent. vorticoſam ſcimus eſſe rapiditatem axis ætherij. eam cogitatione vix aſſequi poſſumus, nedum oculo & manu circumſcribere, in certa puncta digeſtam. Quoties infans exiturus moram trahit, uno alteróve membro tantùm exerto? Quæro: tunc temporis, totum corpuſculum, an unum ſolùm partem propitium vel malignum ſidus afflat? quidquid reſponderit Chaldæus, (ſive Cingarus) intricabitur. Quidni autem & fœtus conſideretur, adhuc in utero jacens, dum animatur, dum inſtruitur ad uſuram lucis capiendam, &, ut quidam dicere amat, vivendi patientiam. An fata Mathematica naſcentes tantummodo natóſque exſpectant; non item naſcituros? quaſi verò prægnantium reconditus labor, privetur ſtato influxu ſiderum, & in primis Lunæ, puerperas gubernantis: ut quæ vel maximè cuncta generanda potentibus radijs fermentare creditur. quanquam unum ex veſtro cœtu noveram virum, etiam Theſibus Mathematicis in lucem editis clarum; qui omnem agendi vim Lunæ ademerat. nova & vetus, inanis & plena, quarta & tota, tantundem apud ipſum potuere. ALPH. Moroſum ac ſtoicum Timonem, &, penè dixerim, à Luna percuſſum mihi objicis. averſor homines, ſi

 poſſent,

poſſent, omnium hominum judicia everſuros. Odi vitio ſuperbæ cephaleæ laborantes, ſuper cæterorum capita, qui cæcis ipſorum opinionibus reſiſtunt, modò occaſio & vires dentur, ferrata carpenta ducturos. num unicum hoc fruſtum obſtinati homuncionis ſapiet? prudentiùs alio modo quæſtionem arbitror poſſe decidi. Fatendum eſt: aliquos vaniſsimis erroribus deluſos, Aſtrologiam adeò extendere, ut velint omnia vitæ momenta, ad ſiderum veluti calculos revocari; alios tam rigidè agere cum cœlo, ut nihil ei tribuant, omnia Fortunæ imputantes. planè ut primi philoſophi, adhuc cæci, & veri Numinis ignari, primordia Mundi diverſis atque contrarijs principijs, quæ phantaſias rectiùs appelles, colliſerunt. pars ex atomis conglobavit: pars ex aqua hauſit. aliqui ſilice ignem extuderunt: inde orbis flammeus emicuit. Ita ſublimis alioqui de cœlo ſcientia, odijs ſapientum onerata, in omnem ætatem, per ambitioſas nugandi ſtrophas, infamiâ taminatur. Genethliaci ſi intra terminos conſiſterent, non eſſent fortaſsis omnino ſpernendi. ſed exerrantes cum epicyclis ſuis, poſtquam inflatos credulitate ſpiritus diſtendére; auctores cum arte proſtituti ſunt. Did. Vt ais. In eandem ſententiam conceſsit Picus Mirandulæ Comes, neſcias, præpetis ingenij pennis velocior, an nobilis proſapiæ ceris illuſtrior. Is lib. 9. in

Aſtro-

Aſtrologiam. c. 2. *Momentum, quo quis naſcitur*, ait, *exploratum habere non poteſt: niſi fortè accinctus (cùm prodit infans) aſtrolabio, cœleſtia metiatur. ſed hoc fit quàm rariſſimè: nec fieri nobis volentibus ſemper poteſt; ut noctu, & aëre nubilo; cùm ſit labi quoque facillimum: nam ſi non ſit exactiſſimum inſtrumentum (quale forſan nunquam eſt) quod inſpectione, momento egreſſionis ad liquidum reſpondeat, ratio partilis horoſcopi vacillabit. Verùm ut ſit vera per aſtrolabium horæ perſcrutatio, rariſſimè, ut dicebamus fieri, hoc contingit: illud frequens, feréque perpetuum, ut parentes dominúſve geniture, talem nativitatis horam dicat Aſtrologo: cui fidendum non eſſe, nec Aſtrologi diffitentur: fallax enim plerumque. Quare dicitur apud nos Hora exiſtimata, ſeu ſuſpecta: de qua ſcilicet ſuſpicio, certitudo nulla. nam ſolaria mentiuntur: & horologia quidem, ſi nihil fallant; ea tamen, quæ mediÿs horis cadunt intervalla, non demonſtrant.* Quî placet tibi iſte auctor? Alph. Iam antè benevolum animum addixeram. at modò juratum Mathematicorum hoſtem citâſti. quî feram? ubicunque poteſt, cavillatur. Did. Si hic diſplicet; poſſum ex D. Baſilio, cui Magni nomen veneranda antiquitas dedit, plura recitare. utique teſtem omni exceptione majorem non reſpues? cum Pico facit. in Hexaem, Hom. 6. Alph. Non reſpuo. ſed

neque vacat longos audire ſermones Patrum. Credis tu autem his, eſto, quantæcunque ſanctimoniæ ac doctrinæ viris, cuncta Mathemata tam perſpicua fuiſſe, uti nunc ſunt? Multa dies, multa experientia obſervationibus innixa, educit in lucem, quæ priùs abſtruſa altiſsimè tegebantur. *Mundus hominum Diſputationi à Deo traditus,* Theatro ſimilis, nunquam ſe totum ſimul aperit. una ſcena poſt aliam pateſcit. Quis ſtatim omnia ſacra excutiat? quotidie diſcimus. útque plurima veteribus natura manifeſtârit, tamen aliquid etiam Poſterorum diligentiæ reſervavit. Itaque, ſi me audis, etſi deteſteris illos, qui ſiderum curſus perverſo ſtudio ad ſui ingenij commenta detorquent; non tamen illos contemnes, qui & arcanas vires in acie caſtrorum cœleſtium ordinata agnoſcunt, &, quantùm licet, agnitis utuntur. Meritò aliquis in hæc verba: *Si planetæ nihil agerent, idem & perpetuus eſſet ſtatis temporibus omnium tempeſtatum tenor. nullæ unquam hyemes calidæ, nullæ æſtates frigidæ: omnes anni immota æquabilitate ſuũ orbem decurrerent. cur olea, ſalix, tilia, ulmus, cur malum punicum, pulegium, cepæ; cur elephanti, feles, capra, brutæ animantes; cur maris acceſſus & receſſus efficacem ſiderum impreſſionem ſentiunt, ſi nulla defluit? ceſſamus à cælo averti: ſtamus noctu ante rimoſa lucis atria, hiſcentes & ſtupidi dum in patrimonium noſtrum*

ſtrum quadrupedes invadunt. Did. Docui- 20
ſti me præclarè: & à tuis partibus ſtare profiteor. illud ferre æquo animo non poſſum, quoſdam manducos, quamvis aureis torquibus inſignes, ex inſpectorum ſiderum ſcientia in futurum ſe porrigere, & vates velle dici. Homines ſenſu & fama corrupti, prædicere ſuſtinent certò eventura, ſoli Deo nota, pollicentur honores, minantur contumelias, opprobria, triremes; dividunt mortis genera, innocentem lectum, cruentum, inceſtificum, naufragia, laqueum, cruces, enſem. quæ prorſus abſona ſunt, boníſque moribus, & ſanctiſsimorum Pontificum Decretis vetita. Audias aliquem, ut jam ſuprà monuimus, quaſi alto Numine afflatum ſic loqui. Liceat ſcire momentum, quo in lucem effuſus es. obſervabo gradum Domûs, congreſsúmque & angulos Planetarum, ſe mutuò trudentium. illic deprehendam, nihil ambige, ſortes vitæ tuæ. poſtquam animos populares impleverit longa exſpectatione ſucceſsûs; Domos aërias ſuſpendet in charta. grande palimpſeſtum varijs figuris, & fortaſſe repugnantibus ac dyſcolis perarabit. Tum lato atque ampullanti ore pronunciabit: iſte cervices franget. hunc murus opprimet. hic in foro mercator, hic per ſilvas latro futurus. De alio: evadet in ſtrenuum belli Ducem: Iuſtiniani legibus Rempub. moderabitur. Hippocratis aphoriſmos diſcet, ma-

gnas opes collecturus. De alio: occumbet duello, paſcet corvos, ſubmergendum piſces
21 devorabunt. Ejuſmodi ridiculis Divinatoribus jus fas ſit illud Catonis dictum accommodare. *Demirari ſe*, ajebat, *aruſpicem, ſi alterum, eiuſdem farinæ & pollinis popam, ſuppreſſo riſu, poſſet aſpicere.* Quid enim? Tres quatuórve Iovis, Iunonis aut Martis, nequam Sacrificuli, mactati bovis viſcera rimabantur, in adulationem compoſiti. viſo auro, quantum Alexander Hammonis Libyci miniſtris obtulit, renunciabant emptoribus victimæ, (ſive majoribus, ſive minoribus quis faceret) quæ placebant. *egregiè litâſti. ſecundis Superis ingreſſus es Fanum. micant exta pulcherrima. vittatum jecur fuit. ab læva dextráque parte jacentia membra annuunt. vade, hoſtiæ beneficio ſecurus. Ducturo uxorem Helena Lacæna in manus veniet. iturũ ad bella comitabuntur victoriæ: immenſas colliges divitias adiuvante Mercurio, ſub cuius tutela natus es.* Hæc oracula pro nummis! Hæc ſine tacito riſu? immò quis teneat cachinnos? dum ſic Mercurio Deo furum litatur: liceat utique & ſpleni litare. An Genethliaci veſtri victimarijs impoſtoribus deſipiunt ſapientiùs? aut, ut rem loquar, ſimpliciùs fallunt malè credulam plebem, etiam Dominos, & qui videri volunt Heroës? Tales Aſtrologos dignos judico, qui cum ipſis aruſpicibus ad eviſcerationem, in ara Dia-

næ Tauricæ, mactentur. ALPH. Ne præcipita ſententiam, quaſi omnia Genethliacorum vaticinia ex vano hauſta ſint. Equidem vel mihi comperta quædam Viennæ in Auſtria, Pragæ in Bohemia, Moguntiæ ad Rhenum contigerunt, dictorum fidem eventu ſecuto æquantia. DID. Nempe Herm. VVervæum aliquem mi- 22.
hi citabis: qui ad convivium vocatus, dum orgia ferverent, abjecto pileo dicitur exceſsiſſe; quòd Centaureas epulas ſagaci naſo ſubodoraretur, & quaſi prægustaret. duello autem paullò pòſt media inter vina, ut prædixerat, peracto, immenſum decus arti ſuæ conciliâſſe. quâſi verò ex inſpecto ſiderum conflictu, improviſam duûm procerum cædem conjectare potuerit! támne albæ mentis homines ſumus, ut hæc credamus? Habent hoc in more veteratores iſti, (pace tua dixerim) ut ſupercilio ducto torvi, & nonnunquam quaſi enthei, mira denuncient, ſed plerumque in ambiguos ſenſus reducta, & ad varios eventus trahenda, quorum aliquid ſi fortuitò accidat; tum enimverò Marti & Orioni, totíq; militiæ cæleſti pares erigunt criſtas: tum conteſtatam venerationem colligere ſtudent; collectámque ampliſſimis modis, viritim per omnia ſympoſia, exaugere nituntur. ALPH. Vt ſcias, etiam alij magni nominis viri, Tragœdiæ, cujus mentionem feciſti, VVervæanum oraculum attoniti cum horrore ſuſpexerunt. DID. Ego nec

horreſco, nec ſuſpicio; ſed ſuſpecto. an non & ſomnia quædam vigilem reipſa illaqueant? num idcirco fidem & ſomnijs habere jubemur? fruſtra ergo quidam & ineptè dubius cecinit: *an habent & ſomnia pondus?* an non andabatæ, cæco more irruentes, licèt ſæpius exerrent, adverſarium ſuum aliquando percutiunt? num in juſta pugilum corona propterea primos ſtatues? pueros quoque in littore ludentes, ſi vim maximam concharum ſpargant, præfixum ſcopum nonnunquam tangere videmus. hos tu exercitatis jaculatoribus æquabis aut antepones? Audi Picum Mirandulam rurſus obſtrepentem. lib. 2. ſic philoſophatur. *Sed eveniunt tamen interdum, quæ prædixerunt; at cùm multò ſint plura, quæ non eveniunt; cur incidiſſe eos caſu in veritatem non arbitremur? quid, quòd nulla eſt ars tam anilis, tam vanæ ſuperſtitionis, quæ non eodem argumento vera comprobetur; quia aliquando ſcilicet accidat, quod ex ea prædictum ſit. Quare dicant mihi, qui iſta ratione moventur: puténtne omnem artem divinatricem veram, an multas potiùs vanas & falſas? ſi multas falſas; probabo ego illas veras, eodem argumento. Si omnes veras, pugnantia eos credere demonſtrabo: quia de eiſdem rebus, diverſæ artes divinatrices, idem non reſpondent.* Alph. Iterum Mirandulam! ceſſa. inimicum artis noſtræ, proprij judicij gurgites abſor-

abſorbent. Did. Quandoquidem Catholicum 23
virum, Italiæ clariſsimum Lumen videre de-
trectas : auſculta Acatholicum, Hæreſiarcham
inſignem. Lutherus in Sympos. cap. 70. vitæ
ſuæ fabulam contexens: *Bacca*, inquit, *laurea
& Magiſterij titulo philoſophus olim donatus
fui. poſtea in monachum attonſus, litem mo-
vi Papæ. transfugam deinde monialem acce-
pi in coniugem; ipſa ex me marito fecundam
ſobolem. nunquid hæc omnia aut ſtellis ſigna-
ta erant, aut aſtris inſcripta?* Hæc exſul-
tim & joculariter de ſe Lutherus ipſe. miror
periculum fulminis, quod proximè à cervici-
bus aberat, ſubticuiſſe; uti & ſex modios ſalis
nigri, in menſa Proſerpinæ ſtantis, quos cum
tertio Iove, in amicitiæ teſſeram abſumpſerat.
Expende, ſi placet, geneſin famoſiſsimi Patri-
archæ: confer annales vitæ; tot diſparata, di-
verſa, repugnantia, contraria, paradoxa com-
plexos: & fateberis, ab nulla ſerie ſtellarum
pependiſſe, multò minùs ab ullo Aſtrologo
prænunciari potuiſſe. Ex cujus inſtrumenti
Mathematici uſu ſciri poterat, Islebicum In-
fantem, fore Monachum, Myſtam, maritum,
philoſophum? & quidem olim quadruplici ſe-
ctæ adhæſurum; in variandis opinionibus, *Pe-
ripatetica*; in contumaciter defendendis, *Stoi-
ca*; in convivijs, *Epicuræa*; in moribus *Cyni-
ca*? fore Chriſtianæ Libertatis Inſtauratorem,
Patriæ Patrem, Principem Pacis, Lumen & co-

lumen Europæ: Chriſto Nomen amabile, ſoli Antichriſto, Romano Pontifici, terribile. Quis ejus ævi Aſtrologus, quo mitiſsima parens Natura, belliſsimum puſionem viſceribus maternis exſolvit, conjectare poterat, quavis Domo ſiderum perviſâ *Martinellum*, Quintum Evangeliſtam futurum, alterum Moyſen Legislatorem, tertium Eliam fulmineos ignes ſpirantem, Quatuor Prophetis Majoribus Quintum addendum. Non Lycius, non VVervæus his prodigijs eruendis ſuffeciſſent. Quid cætera memorem? *viam viri in adoleſcentia* nec Salomon noverat. via Lutheri in virili quoque ætate Carolum V. fefellit. tam lubrico paſſu, ſive, ut alij dicere malunt, tam ſublimi cothurno ad apicem mirabilium deſideriorum ferebatur. Puer tenellum corpuſculum ſortitus erat. poſt, Catecheticis ſorbitiunculis uſque adeò profecit, ut abdomen decempedâ vix metiendum extenderet. nodoſa vitra coctæ Cereris, majorem vim ſaginandi habuere, quàm *Crater cæleſtis*, ſtellarum illa congeries, vana & vacua. nunquid, hoc inſpecto ſigno, Genethliacus præſagire potuit cucurbitam? Quis tantam familiaritatem cum Orcinianis ſpiritibus? quos omnes nos exhorreſcimus, religioſiſsimus vir domitaverat, gnarus & ſeverè illis parére, & molliter dominari. Lutherum non generoſa nobilium ſtirps commendabat, privata domo natum; ſed prudentia,

vigór-

vigórque exporrecti in omnes caſus judicij, & facundia popularis maximum fecerat. Quidquid tentabat, ſucceſſu claruit: etiam cùm honeſtati clauſtris armatæ vim intuliſſe viſus. argumentis reconditis onuſtus prodibat in publicum, peroratâ cauſsâ victor aſcedens. animadverterat ſanctiſsimus Dei naturæque interpres, cœlibatu nec hominum genus multiplicari, nec cœli incolas augeri. ſumpſit animum obterendi jura ſeverioris, quàm par erat, pudicitiæ, etiam voto firmata. ſed quàm ſapienter & modeſte! ab acerra Numinis ad thura Veneris (ancillæ, ſive legitimæ conjugis; juxtà erat) traducto Sacerdoti, non ſapuit niſi ſacra caro. procùl pelles profanæ. itaque aucturus Adami poſteritatem, in Deo dicatæ Virginis caſtiſsimos amplexus tranſit. ab ara Veſtæ, Catharina Borna ad Focum Cithereæ abſtracta eſt. pro Hymno Hymen cantabatur. pro pſallere, ſalire aſſumptum. pro cucullò culullus geſtabatur. Dicat VVervæus, num ullus ex tam illuſtri prænoſcentium tribu artifex, hunc ordinem rerum & præſertim matrimonij curioſam libertatem ex Erigone, Aſtræa, Ariadna, Andromeda, Caſsiopea Virginibus, vel alia quacunque poſitura ſiderum colligiſſet? ergo rectè Lutherus ſcita Aſtrologiæ judiciariæ, tanquam inutiles & vanas phantaſias, ſuaviſsimè exſibilavit. ALPH. Perdidiſti bona verba, mi Didace. pro fragmento inex-

ſpectati Panegyrici, didactrum à Præconibus Lutheranis petes. proteſtor: ego non numerabo. Nimis formosè laudâſti Islebium vertem. prodigioſa encomia ſuſpecta ſunt. Lutheri vita neque ex aſtris deduci potuit, neque ſuper aſtra evehi. putas autem tunicatum ſcurram, dum Genethliacos deriſit, oracula ructâſſe? qualia ſcilicet ſannio ſolet. non alia cadunt ex Tripode ſiliquis fumantibus pleno. ab illius ergo judicio ſta-
24. bimus? Ego veriora recenſebo: tu, ſi potes, eadem facilitate exſuffla. Accepi, in aula Regia, noſtro ævo, nobilis viri Filium inter proceres adlectum fuiſſe. Peritus aſtrorum, monuerat patrem, ut gnatum obſequijs Aulæ, certo ſignatóque die, tantiſper ſubduceret. quippe fatalem fore. neglexerat ille, velut ridiculam prædictionem. alter denuo inſtare impenſiùs, ut ſaltem viridi ſive venatoria veſte incinctum non fineret comparere: addidit, ſimili colore inſignitum vitaret, Filius, cui ſacra Dianæ placebant, ſive inſcius vaticinij, ſive contemptor, caput viridi colore tectus, palatium vetitum nihilominus intravit. Vix hora effluxerat, cùm offendit in æmulum, coloris itidem glauci integumento conſpicuum. ferebantur alternis varij ſermones: primò amici, candidi, innoxij: deinde ut famigera-

tio

ſiones colloquiorum paullatim ſe differunt; amariuſculi. nec mora: altercatione ſubitò orta, filius luculentam in facie plagam accepit. manans ſanguis totam faciem oppleverat. Pater certior plagæ factus, præſagij ſpreti memor, ac ſimul anceps, in utramque partem diu verſavit animum: & tantùm non denique ſidereo vati aſſenſus eſt. Animadverto te, Didace, jam reſponſum parare. ſed permitte me alterum mirabilius ſubnectere; tum libenter animi tui ſententiam intelligam. Galeatio Mediolanenſium Duci (ita hiſtoriæ Italicæ tradunt) mortis ſubeundæ genus cruentum ab Aſſyrio hoſpite denuntiatum fuerat. Offenſus Dux, quas tamen nugas arbitrabatur, eluſurus; quod autem te exſpectat, inquit, fatum Aſtrologe, ſi meum tam bene nôſti? utique & illud perſpicies, alieni tam certus explorator. Quid faceret in lubrico hærens? animosè reſpondit: ſe verò in via publica, ex caſu ſuperlapſuræ trabis hinc exceſſurum. erras, ait Dux. nam gladius & caput tibi improbum, ſimul & linguam mendacem demetet. iamq; ducebatur capitis damnatus, effuſa omni civitate ad ſpectaculum. cùm ecce tibi, tranſeuntem in platea reum, trabs ſupernè delapſa ex ædificio, cũ carnifice eliſit. Ipſum Galeatium, ex hoc ſibi ominosè metuentem, ſicut oppreſſus prædixerat, nõ

multò pòſt peremit ex improviſo irruens ſicarius. Dic, amabo te, Didace: talia fortuitò contigiſſe exiſtimabimus? an potiùs, altiore
25. nexu vel impulſu rerum? DID. Necdum conſtringi me ſentio memorabilibus, an dicam mirabilibus tuis. Quæ recenſuiſti, malim fortunæ adſcribere, quàm ſideribus. Si tamen fortunæ temeritatem non admittis; duo certiſsima mihi perſuadeo: aut nefandorum ſpirituum commercia intercedere; aut vindicis Dei juſtitiam pœnas ab impia credulitate exegiſſe. Ne tamen verba dare videar, ſic arguo. Avernales Genios humanis negotijs ſæpe ſæpius admiſceri, non inficiaberis, opinor. ſuper hæc, à ſceleratis vel ſuperſtitioſis mortalibus accitos, tantò deteſtabiliora patrare poſſe, quis neget? ſubtiles Spiritus, velocis ingenij, omnium rerum naturalium gnari, experientijs varijs inſtructiſsimi, præterita intuentur, præſentia conferunt; ex utriſque futura ſagaciter conijciunt: ſecreta accuratè explorant, longo uſu nequitiæ edocti, penetrant omnia. Iam ut Aſtrologiæ judiciariæ dignitatem aſtruant, ad pernicioſiſsimos errores multotúmque interitum ſubſervituram; in tempore adſunt, machinantur, votis ſubremigant: ut ſervulorum conjectantium auctoritas aliquo firmetur eventu. quem ſi nonnunquam obtinuerint; (nam ſemper non poſſunt, divinitus impediti) tum enimvero Aſtromantiæ ferue-

re

re ſtudia, urgeri popularis admiratio, vana ſcientia favoribus ſuper Delphos, & Hammonis cornua extolli. ALPHONS. audacter tu iſta quidem. DID. Non audaciùs, quàm illi, qui materiam loquendi præbent. Ita ſanè credibile eſt, Thraſyllum Aſtrologum à Dæmone accepiſſe, cùm Tiberio, Cæſari dixit, ab eo ſibi mortem imminere, quam tamen eidem ille, nemine conſcio moliebatur. Ita Nigidium Figulum, à Mathematicis divinationibus clariſsimum, acceptâ horâ ortûs Auguſti, & natalitijs ejus ſideribus obſervatis, ſubitò exclamâſſe: *Dominum orbis natum eſſe.* lege Suetonium. niſi ſi & ſupremum Mundi Dominum, arcanis ex cauſsis, per eum hominem locutum eſſe ſtatuamus: quomodo olim per Sibyllas Gentiles multa vera prænunciavit. Redi nunc ad venatorem tuum purpuratum, ſaucium, confuſum; redi ad Ducem Galeatium duplici cataſtrophe nobilem: aut Aſtrologum ſuperba temeritate effutijſſe, quæ dixit; aut vaticinijs ex antro Tænari hauſtis elicuiſſe Fata, reperies: Panurgo ſtygio ſtrenuam operam navante deceptionibus procurandis; quibus & arrogans vaniloquentia, & ſtulta credulitas implicaretur. ſi his diutiùs immorari liberet; poſſem tibi plura exempla referre, æquè funeſta, omne genus flagitiorum oculis ingeſtura. Hæc futilis & damnoſæ artis jactantia, quot viros cætera pruden-

tes,

tes, ſævis Zelotypiæ ſtimulis confixit, eroſítque, velut in medium formicarum agmen conjectos! quot caſtiſsimas conjuges, poſtquam propter ſiderum malignam inclinationem, à maritis ſuſpectari pudicitiam ſuam notaverant, tum primùm intemperie actas in adulteria provoluit! Quid? quòd non una tantùm Domina uſu matrimonij abſtinuit, contra omne fas à toro maritali ſeparata: obtentui ſumens Horoſcopum, monentem, proximo partu ſibi & proli unà intereundum. hinc jurgia & lites, querelæ & gemitus; multáque alia indigna proferri, puniri digniora. Eadem Furia orbatrix fœderum, amicos quoque ad ultimum letalibus prælijs colliſit. Fraterna funera, ſororij conflictus, ſoceri & generi odia hinc cauſſas habuere. ægri ſtrinxere ferrum in ſanos: valentium telo cecidere infirmi: timidi terrentéſque ſanguinem fuderunt. ut horrenda, quanquam à Medicis fide dignis relata prætercam, duo narrabo, non tam ſtomachum quàm pulmones motura. *ridentem dicere vera quid vetat*? In urbe, ubi & Academia celebris & Iuventus frequens floret, ut proditum eſt nobis, olim Genethliacus degebat, Matheſeos profeſſor famoſus. vidi intravíque domum, quam habitaverat. Vxor ejus gravida, & prope partum, jam opem Lucinæ clamabat. Dum ergo noctu Dominus cunnicnlam ſuam, more ſoli-

ſolito, occupat, ac beneficio ſudi cœli, ſtellis tacitè labentibus imminet: accurrit ſervulus præ lætitia & ſpe præmij anhelans; & liba Iunonia meriturus ante alios, gratare, inquit, Domine: exſulta, bonum nuncium affero. Conjux tua feliciter enixa eſt maſculum. exhorruit alter, mutato oris colore. mox *ſiquidem*, ajebat, *hoc temporis puncto peperit vxor, peperit ſtultum. hoc ſidera portendunt.* Dictum factum. Filius adultus Patris omen implevit. accipe lepidius. alius uſum thalami non niſi ad cœleſtium ſignorum ſyſigiam exigebat, meros, ut putabat, Salomones generaturus. Si ſtella paullò tetrior, ſi benigna quidem, ſed ex obliquo minùs liquidè, aut dubiè annueret; ſolus oppidò dormiebat. vis exitum? totam familiam fatuis Rohoamis auxit. inſaniverunt omnes. ALPH. Profectò hæc & mihi jam riſum excutiunt. DID. Cachinno nihil proficimus. exclames etiam licet. O ſanctam juſtámque Nemeſin, phanaticas inſipientium illuſiones, dignis eventibus plectentem! Quantò autem ſceleſtiores adhuc illos dicemus, qui Aſtrologiæ judiciariæ licentiâ ſemel permiſsâ, convincuntur, humanæ naturæ dignitatem longè infeſtiùs aggredi, mutilare, peſſumdare. non ſinunt nos quietè libertatis privilegio frui: ſed omnia ex præſcripto aſtrorum agere con-

teng

tendunt. ex tali ego ſcitarer primùm, num ad hoc ipſum dicendum adigeretur vi aliena. ſi aſſerat, tunc ego hunc infelicem ſuæ libertatis decoctorem, meæ verò violentum raptorem, infra ſcalas Gemonias & cataſtam mediaſtinorum abjecero. ingenuus non eſt: cur toleretur ab ingenuis? Dicerem: Quid ais Veterator, Chaldæis obſervationibus, aut veriùs nugis ſuffulte? neceſsitas ſiderea invito mihi obtrudit noxam? inevitabiles inimicitias? doloſum honorem? rixoſam conjugem? Si nolentem alligat vinculis uxorijs, aut ſolvit ingratijs: ſi cogit ad Hymenæum, ut plorem; ad cælibatum, ad mercimonia, ad triremes, ut peream: Si Mercurius me facit furem, Venus inceſtum, Mars homicidam: quorſum ergo divinarum humanarúmque legum ſtrues, ſcelera vetantium? Qui gladio aut laqueo, qui igni aut aquis debetur ab ortu ſuo; fatales minas ſtolidè tentabit evadere. ut Poëta intellexit canens: *Fatis agimur, cedite Fatis.* atqui omnium gentium conſenſus, prædicta, vel inter libera ponit exercitia, vel inter caſus fortuitos refert. qualia ſunt, ducere uxorem, vitare connubia, colere rura, frequentare aulas, ſequi militiam: ſaginare ventrem, paſcere coruos, ſuffocari aquis, exuri flammis. Fortuna, natura, vitium, virtus, caſus huc ducunt: aſtra nullo modo. alioquin non immeritò conqueri poſſent, & clamare fures, mœchi,

chi, latrones. Quid noſtrum cruciatis liberum arbitrium? quod nullum habuimus. poſſederunt geniales ſtellæ. Furcas, ſecures, rotas, equuleos, aliáque tormenta à Siculis inventa, in cœlo ſtatuite, non terris. Armato Orioni ultio flagitiorum mandetur. hic ſit lictor aſtrorum. hunc ſentiant carnificem nefarij Planetæ, ad cædes, rapinas, laſciviam inſtigantes, immò & à cunis jam protinus urgentes. ſinamus cuncta volvi, ſicut orbes ſupra nos poſiti volvuntur. immenſorum corporum impreſsiones deſpoticas & vim anancæam, ſiſtere non valebimus. Quæ igitur religio, pietas, virtus, ſummi Numinis cura, rebus ita conſtitutis, locum habet? cur utili præponam honeſtum? cur in vitia jucunda pugnem? ſi nec liber, nec tam vigilans ſum meus, quàm dormiens: ſi jam omnia in aſtris puero deſcripta ſunt, quæ juvenis aut vir maturus explere cogar. Cuperem autem ſcire, an illa natalium facum vis, in ſtellarum primævo nexu perduret; an imprimatur infanti, & tenellis membris inoleſcat: donec ab uberibus fota, in ſolidam ætatem, & æqualem fortunam erumpat. ſunt enim, qui diverſa loquuntur, & incertum deſipiunt, prout cerebrum ipſorum ab æſtu Lunæ fumat. prius in manifeſtis mendacijs numerare non dubito. etenim ille fœderatorum ſiderum concurſus quotidie mutatur. mutatis autem aſpectibus,

jugo

ſugo fatalium flammarum ſolito, quæ urna interim cœleſtis vigorem decretorium conſervabit? quandoquidem non ſtatim, ſed multo pòſt tempore ſortietur ſpatia prodeundi, ut geniale jubar in alumno ſuo exerceat. poſterius Aeſopi fabulis rectiùs accenſeas. nam ſi indeclinabili neceſsitate, & quidem in viſceribus hærente impellitur, ubicunque pedem fixerit, terra maríque, nolens volens, fatis per cuniculos ſe aperientibus, funera edet, aut funus fiet. itaque debitus undis, quamvis firmiſsima navi vectus, cum ſodalibus diverſiſsimo ſidere genitis, excitabit tranquillo pelago fluctus: cauſſa erit communis exitij: aut certè, cunctis enatantibus, ipſe fatis damnatus, vel ſabulo in littore maris, ſolus abſorbebitur. Deputatos laqueo, direptum capiti diadema ſtrangulabit. ad ruinam à Genethliacis deſtinato, non erit opus Curtij lacu, non Amphiarai lapſu: ſed vel ara cujuſcunque delubri, ſub pedibus etiam Sacerdotis dehiſcet. quàm crudeles hæ ineptiæ! Qui verò candidiore calculo notabuntur, quamvis deſides, ignavos, perjuros, ſacrilegos manent coronæ. oſtro deſignatus, ſceptrum reperiet in humili tugurio. ſtupris acquiret divitias, fraudibus clientelas; &, quod mirabilius, ſine ambitu ſummos honores conſequetur. incidet in gratiam Principum; nec excidet. quia ſidera ſic ſanxerunt. rurſus infelix, utcunque

nitatur ad ardua, virtutibus vacet; exponetur injurijs, contumelijs obruetur, aſtrorum nocentium vi fortiùs incumbente. Ad ſummam. mutatis exemplis, novos Parides conjugio beandos, obviàm occurſuræ rapient Tyndarides. Agamemnon Clytemneſtram occidet. Pylades Oreſtem mactabit, quia ſic ſidera ſanxerunt. Veſania inconditè divinantium, augetur ex eo quoque capite, quòd naturæ & rerum humanarum curſui vim inexplicabilem inferant. nec prudentes intelligunt ſatis portenta ipſorum, qua ratione impleri queant, abſque plurium injuria. Cedo enim, ſi viator in ſilva obtruncetur: hoc ex aſtris fatale fuiſſe, reſpondebit nugator Aſſyrius, vel quiſquis huic nomini ſuccedet. Quæro iterum: uni, an utrique; & qui perijt, & qui alterum perdidit; ſi utrique; ergo diverſa aſtra, eodem fato damnârunt & pereuntem & perimentem: poterat tamen latro (ex facto ſic nominandus) aliquot antè luſtris fortaſſe jam extitiſſe, ſub Iove & Venere, benigniſsimis ſideribus natus. Quid ſi per nemus tranſeuntem caſu putris arbor occupâſſet, unà ſecum ſtrage miſerum involuens; ſcilicet homicidij ream quercum Genethliacus faceret: dignam ſanè cum ipſo de cœlo tangi; ut quæ è Mathematico cœlo fabuloſum mandatum acceperit, innocentem opprimendi. O iterum crude-

crudeles ineptiæ! idem dixeris de damnato ad naufragia, in communi claſſe. quàm multi ſubmerguntur diſpares ortus nacti, eodem exitio involuti! Quid autem? addixere alicui ſidera dignitatem, faſces, purpuram. nunquid voluntates illa legitimo jure ferentium, ſunt in eadem poteſtate Planetarum, quemadmodum unius Candidati nomen ac votum? ut hæc diſsimulemus, quid magis eſſe liberum debeat, quàm nuptiæ? ducere & duci velle, vel nolle? atqui cui nato ſtellæ uxoriæ fulſerunt, cogetur ſubmittere collum jugo. Heſperus blandior offeret Laida formoſam, ſed ſuſpectam: quæ verò ſidera auro comata, habuerint Iovem in propria Domo, ut cætera defuerint, promittunt divitem: at quæ lurida, Venerem offenderint in Domo Saturni; vetulam, annoſam, turpem, rugis obſitam: quæ denique Martem in trino Lunæ, inconſtantem, rixoſam, laſcivam. pulcra judicia Chriſtianæ pietatis, incitamenta ſinceri amoris, duraturæ fidei. ſic itur ad aſtra, ſi Dijs placet, ducentibus aſtris. Alph. Næ tu anxiè & vehementer anquiris in minima & maxima Aſtrologorum inventa. ego de eclipſi ſperabam te ſermocinaturum. propoſito relicto, inveheris in garrulum hominum genus, quod nec ego ex omni parte probo. Did. *Ex omni* dicis. quia ſcio te ex aliqua adhærere. Ne tamen putes, quæ in medium protuli, ad eclipſin illuſtrandam

dam nihil facere. Ex dictis namque, demonſtrari poteſt, Aſtrologos primùm falli & fallere, dum diſcernere & præloqui conantur fata Microcoſmi (cujuslibet hominis) quanto immaniùs errabunt, auſuri denunciare occaſum & ultimum agonem Macrocoſmi, (hoc eſt Totius univerſi:) & iſtud quidem ex occaſione duum duntaxat Aſtrorum, naturalibus de cauſsis, ſtato tempore, ſe quandoque obſcurantium. De quo mox plura. ſed, ne vanitatis aut ferociæ arguar, permitte me priùs, pace tua, quæcunque hactenus diſſerui, conſonis virorum omni exceptione majorum ſententijs firmare. amantibus cœli faces, clariſſima lumina admovebo. Sideratis veriora tutioráque ſidera opponam, denique ſupra nubes vagari ſolitos, denſiſsima nube Teſtium obruam. *Alph.* Dummodo hæc nubes non tonet & fulminet. *Did.* Fulminabit certè, ex Vaticano Monte ſuſpenſa. Sixtus V. Vrbanus VIII. Pontifices Maximi, jam olim graviſsimis minis intonuerunt. Aſtrologiæ judiciariæ temeritatem edictis pœníſque ſubjecere. Ante illos Concilium Tridentinum, ut antiquiora ſileam, in Indice Libr. damnatorum ſic loquitur. *Epiſcopi diligenter provideant, ne Aſtrologiæ judiciariæ libri, Tractatus, Indices legantur vel habeantur: qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſue caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate* 26

pendent, certò aliquid affirmare audeant. *Alph.* Audin? *certò aliquid.* hoc prohibetur. igitur conjectare licet. Abſolvis Aſtrologos, dum damnas. nemo vaticinatur, ſicut entheus: alioqui comas jactaret, volueret oculos, mutaret ora, juberet adduci pſalten: quo inchoante terribilis & ſtimulis incitatus, concuſſum animum in oraculo laxaret. Noſtrûm aliquis ſtellam curioſiùs ſpeculatur, obſervat domos, contuetur vultus humanos, natalibus arceſsitis expenſíſque ad calculum, pronunciat ingenioſa ſagacitas, quæ videntur proclivia, & arti obedit. *Did.* Et arti obedit! quæ nulla eſt: ſi auſcultâſti, Iudiciaria proſcripta eſt. quam aliam nominas? ſi intra cancellos amphibologia Morionum (ignoſce vocabulo) maneret, ignoſci poſſet. quales ſcilicet præſcripſit D. Thomas de Aquino, ſic ſtatuens: *Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed univerſaliter: quia ſcilicet impreſſio ſtellarum, in pluribus ſortitur effectum, qui non reſiſtunt inclinationi, quæ eſt ex corpore: non autem ſemper in hoc vel illo, qui fortè per rationem naturali inclinationi reſiſtit.* Angelici Doctoris Canon utique Hermannum VVervæum ſimiléſque Prognoſtas ferit; & tumorem vanarum mentium, quas opiniones (nedum ſcientia) inflant, prorſus evacuat. vidiſti Pernumia, Calendaria VVervæana Norinber-
17 gæ excuſa? vidiſti, voluiſti, examinâſti? mera

ora-

oracula loquuntur pro ſignatis menſibus ac diebus: &, ne ſegniores oculos fugiant, rubricâ notata. *Caput magnum, caput Ioviale, Martiale periculo mortique vicinum eſt. conſilia vana: Faba in caput auctoris cudenda, Conflictus Domui Auſtriacæ & Coronæ Hiſpanicæ periculoſus. Civitas famoſa ad hoſtem tranſitura. Convivium ſanguinarium, Thyeſtæum. veſperæ Siculæ. In Gallia claſsicum Menſe Martio. Trium Purpuratorum ſubita mors. Magni nominis femina in adulterio deprehenſa. Crux flava in albo campo Iani Templum claudit. Magno Principi venenum paratur. Hoc menſe, iſto in loco clamabitur victoria. Portugalliæ, caſei Hollandorum non ſapiunt. Quid hoc? vinum aduſtum ex Polonia allatum nihil ad gulam elephanti dentibus exarmati. Argentoratum, Spira, Francofurtum ad Mœnum ululabunt pſalmum Miſerere. milites tumultuantur. Quidam arcu intento ſpiculum per ſcorpionis viſcera molitur traiicere. Tres nigri leunculi in flavo campo triumphant. Quid gallo gallinaceo cum novemdecim liliis? Superbus pavo audet cygnum ad certamen cantu provocare. Vellus aureum rubro ſtruthioni criſtas demit. Cataphractus eques albo caballo inſidens improviſis militibus, qui fulvam turrim impugnant, minatur interitum.* Hæc pauca in ſpecimen ſufficiant. ſcatent Faſti ſimilibus nugis, ſi intra iocandi licentiam

vanitas annua peccaret, tolerari aliquatenus poſſet: quomodo inventum Poëticum ad honeſtam delectationem ſive factum, ſive fictum novitatis gratiâ delectationem moturum toleratur. nihil enim aliud evinceretur, quàm ut venales chartæ Ianuariæ, popularibus verſiculis inſignitæ, apud conſcios uſu nugandi riſum cierent. ſed jam, præterquam quòd Logodædali fucum pro veritate obtrudere non vereantur, audent inſuper figmenta ſua nuncupare oracula, ex aſtris deciſa. Folia emporetica, pro folijs Sibyllæ venduntur. Ego credam hos cæculos futura prævidere poſſe, à liberis arbitrijs pendentia: qui res naturali commercio ſiderum nexas, puta, tempeſtates, ſerenos vel nubilos ſoles exploratos non habent! Enimvero utcunque, fateor, agnoſcimus aliquam artem, ex ſobria obſervatione aſtrorum, quibus elementa & mixta ſubijciuntur, prognoſtica curioſorum mortalium quaſi quaſi bono invehentem. laudamus etiam: non ſanè quòd ſummam aut eximiam putemus. quantula enim praxis! Auguſto vel Iulio menſe, tonitrua caloréſque ciere; Decembrem vel Februarium glacie & ventis conſtringere! adeò tamen etiam de his promiſſa inter vulgi oculos & exſpectationem ſæpe evaneſcunt; ut prodigium ſit, ſi interdum vera loquuntur: nullum penè ludibrium, ſi frequentiùs falſa: eò quòd errandi libido, & quaſi continuata

ſua-

ſuavitas mentiendi, in quotidianum morem & proverbium tranſierit. deſtinant ſudos dies: pro quibus fœdi & turbidi oriuntur. minantur nives & grandinem: & ecce, Flores vernant, violæ ſerpunt: ſerena omnia. Quid multis? jam Typographorum manus, decumanis tot erroribus imprimendis, occalluerunt. nemo ampliùs Calendario inſpecto erubeſcit. Audi, obſecro, jucundã hiſtoriam, facinus Typothetæ ſpectatiſsimi Faſtis dignum, & propter Faſtos annuos peractum, & in acta referendum. Vir erat in celeberrima urbe, mihi familiaris, acer, ſtrenuus, ingenioſæ induſtriæ, lucri ſtudioſus: &, quia attentus ad rẽ, nolebat deperdi aliquid aut prodigi in gratiã inſtaurandi quotannis Calendarij. Oderat ſupervacaneas emunctiones crumenarum, neomenias mendicantes, quaſi verò, dicebat, ſoli Aſtrologi opulenta mercede conducti, hominibus poſsint illudere? ergo vigil in anteceſſum, ut ad novi Iani limina lepidiùs nundinaretur, tempora obſervans, peritum ſacerdotem adire ſolebat, precibus quoque admotis, nec non promiſſo donario: componere dignaretur Romano ritu Dies Feſtos Sanctorũ, itẽ Dominicos cum Evangelijs. ſi rogatus reponeret: ô homo: ego autem inter Aſtrologos nomen meum non profiteor: nullas Nonas aut Idus cæleſtibus ſignis luſtrare novi; in quibus contineatur quatuor totius anni partium Symmetria, varietas, tótque contrariorum occulti

repercuſſus. indicare tempeſtatum, & procella-rum, & turbinum inſtabilem ſcenam, non eſt meum, altius forum ſpectat. accedas, licet Mathematicum. ille diem fauſtum cretâ, infauſtum carbone diſtinguet. Tum alter ſubridens: Venerabilis Domine, dummodo ſeriem Divorum digeſtam habeamus, reliqua ipſi ſupplebimus. *Quid ſit futurum cras, fuge quærere*. mihi hanc curam manda. inveniam pluvijs ſonantibus viam. nives, grandinem, tonitrua, fulmina, more meo diſponam, prout menſibus ſuis congruere cenſebo. prima & ſecunda regio aëris, cum tota Aeolia penès me ſunt: cerebrum iſtud tempeſtatum omnium capax eſt. jam plures anni fluxere; ex quo Calendas non aliter ordino. affirmo tibi perſanctè: ſi non ſemper at plerumque certiùs mercenarijs Aſtrologis ſcopum tetigi. cuncta temerè agens, nullum calculum ſubduxi. hoc tantùm ſollicitus, ne æſtivos menſes frigoribus exaſperarem: (velut olim collis Exquilinus Romæ, dum ultima regnaret æſtas, tectus nivibus fuiſſe legitur.) deinde cavi, ne hybernos roſis ac violis inducerem. Cætera ſalva, Regi ſeculorum commiſi, experientiæ confiſus. *Alph*. Atqui dignus erat hic idiota, qui ab Vraniâ, quippe per ſummum nefas contemptâ, cœleſti Bubulco traderetur, alligandus ad plauſtrum, & ad ſatietatem ſcutica cædendus. O hominem ſtolidum & audacem, meritum tot flagra, quot dies numerat

annus,

annus. *Did.* Quin tu potiùs, Pernumia, ſubſtringis iram, fruſtra in larvam ſæuis. indignaris mortuo, cadaver vis cædi. Typographus iſte, quem bobus flammas ſpirantibus objicere paras, jam dudum (ita pietas ejus ſperare jubet) ſidereas domos veſtras tranſgreſſus Bibliopola *Librum vitæ* legit, in quo & ſuum nomen impreſſum inveniet. Quòd tempeſtates creandas ipſe Calendarijs aſsignaverit, neglecta Mathematicorum factione, capital non eſt, ingenio imputes. voluit minoribus impenſis innocentiùs errare: immò certiore lucello veritatem arceſſere. ſi uſuram aſtrorum ſuperſtitioſam adhuc mordicus defendis, ſi Genethliacis faves; ſcire velim, an & Geneſin tuam calleas. *Alph.* Quippeni! calleo. *Did.* Quæro igitur, an ex ea præſciveris, aliquem Typographum, & quidem jam extinctum, tibi vivo crabrones excitaturum: me tibi hodie fore moleſtum. ſi hæc ignorâſti, ægrè perſuadebis, aliena nihilominus fata à vobis perſpici, nedum prædici poſſe: profectò minùs illa, quæ libertatem animi, vel conditionem Fortunæ verſatilem reſpiciunt. qualem deferendi Magiſtratus, vel honores eligentium calculis diſtribuendi, vel potentia oſtraciſmo moderanda requirunt. vide autem, quantopere fallantur ambitioſi, qui ſpes ſuas omnes in Mathematico vate ponunt. recitabo graviſsimum teſtimonium Scriptoris noſtra ætate

30. clariſsimi, atque in divinis humaníſque literis
verſatiſsimi. Is eſt Cornel. de Lapide, Belga ,
è Societ. Ieſu: qui aſſertionem meam in cap.
19. Act. Apoſt. his verbis confirmat. *Sanè
paucis annis, quibus Romæ fui, vidi plures vi-
ros magnos ab Aſtrologis deceptos: dum huic
vitam longiorem, illi Cardinalatum , alteri
Papatum prædicunt, & promittunt. quos o-
mnes vana ſpe & mendacio deluſos fuiſſe
eventus docuit, magno eorum periculo & da-
mno. Dum enim ſe non credunt morituros, niſi
priùs adepti ſint prælaturam, quam promiſe-
runt Mathematici; etiam letali morbo icti,
ad mortem ſe non parant. quare imparati &
improvidi moriuntur.* Quid amplius deſi-
deres? *Alph.* Hoc : ut aliquid contra me
afferas. aliena nil curo. jam non neſcio mul-
tos , ſphæræ cœleſtis vix gnaros proletarios,
ſed ad famem placandam induſtrios , pectora
mortalium avida futuri, non tam præſagijs ,
quàm præſtigijs mulcere. cum his, bone vir,
non facio. in divinationibus experientia ſo-
lers ac crebra, cauta prudentia & moderatum
judicium requiritur. *Did.* Rectè judicas. ha-
32. bes aſſentientem tibi Baſilium magnum in
cap. decimum quartum Iſaiæ. *Chaldæorum
ſtudium & curioſa inquiſitio, Aſtrologia eſt :
per quam aſſerunt, etiam cauſſas à ſe ipſis de-
pendere, non item à Deo; réſque omnes latio-
ni ac progreſſui aſtrorum ſubſternentes: pro-
vi-*

videntiam ipſam, rerum humanarum moderatricem prorſus à ſe ablegant; adeò ut orationem ad Deum effuſam, & ipſam, qua colitur Deus, pietatem, negent quidvis poſſe: quin potiùs ſi qua horum credantur contingere, id omne referant ad cauſſam fatalem. vel nullo profitente agnoſcis, Alphonſe, quid ante tot ſecula ſenſerint viri ſapientiſsimi, de periculoſæ artis commercio. audet vana, tentat pudenda, evomit indigeſta, ſperat illicita, promittit inania, ducit ad noxia. Quicunque verò libertatem hominis vel modicè delibant, vel raptim, vel omnino adimunt; cenſeo ego tales ſine mora abſtractos ab humani generis conſortio, in caulas ablegandos eſſe. deteſtatur idem ſanctus Pater homil. 6. in Hexaem. & eorum phaſmata refutat. *Deinde ſi non proborum atque improbarum operationum principia penès nos ſita ſunt, ſed ex ortu neceſſitudinis emergunt: fruſtra profectò legum latores, agendas res & non agendas, ſed fugiendas præſcribunt. fruſtra ſunt iudices etiam, virtutem honore, vitium pœnis afficientes. non enim hoc pacto iniuria commiſſa, furis eſt aut homicidæ! quippe cui neque volenti quidem, ob inevitabilem ipſum impellentem ad agendum neceſſitudinem, manum continere licuerit. Vaniſſimi denique homines ſunt, & qui dant artibus operam, in ipsiſque elaborant: quando rectè quidem videtur facturus agricola, ſi neque*

ſemen ullum in terram deiecerit, neque ad meſſem falcem exacuerit ſuam. quin & mercator, velit nolit, ſupra modum diteſcet; quando ipſi Fatum affatim accumulat luculentas & uberes divitias. ſpes porrò magna illa Chriſtianorum, evaneſcent omnino nobis, atque peribunt! quippe cùm neque iuſtitia honoribus ullis afficiatur; neque peccata puniantur: propterea quòd nihil prorſus ab hominibus libero animi propoſito agatur. Huc ruunt præfidentes volaticis opinionibus, atque naturæ ſuæ dignitatem quodammodo caſtrant, & maſculam animi dotem, illam nobilem, pretioſam, regiam, Libertatem inquam, penitùs auferunt. ſed nihil inauſum Mathematicis, nihil etiam conſentiens. fluctuant plerumque in contrarijs. Duo Poli ſunt: exſpecto brevi & horum mutationem, ſi non & alios duos ab axe priori diverſos. De Sole jam unus edixit: ejus continuum deſcenſum, terram comburere: nam ſpatio quinque millium quingentarum leucarum deſcendiſſe: ſed potiùs fingit, quàm probat. præterea Solem ſtare, Terram gyrari jam olim docuit Copernicus, vir magni atque audacis ingenij. totum ſe dederat ſpeculationibus reconditis, atque novitatem mirantium excitaturis. Quæro interim, an modò non inſtabilis cerebri haberetur, qui inſtabilem terram diceret. aliud certamen de ipſo cœlo. qui fuſile extendunt inſtar maris lactei; ſen-

ten-

tentiam ſuam pertinacisſimè propugnant; cauſſas afferunt (vel afferre videntur) oculatis Demonſtrationibus proximas. nam argumenta, ajunt, quibus ſoliditas aſtruitur, facilè *liqueſcere*. Hæ altercationes in primis principijs virorum ævo famáque celebrium. Quid polliceatur mihi Chaldæi nepos, vix guſtu cœleſtium ſignorum imbutus ? ergò talis, ut idem Baſil. eadem Hom. deſcribit, in terram, inſtar Vulcani, è cœlo relapſus, incipit puerperis ſtellas explicare venales, & infantibus per commenta illudere. Fames ingenioſa, auri etiam ſacra. (quaſi dicat Iuvenalis: *Græculus eſuriens in cœlum, iuſſeris, ibit.*) *Talis, inquiunt, criſpanti decorabitur capillitio, eritque aſpectu mirè gratioſus: eſt enim editus in lucem Arietis tempore. tale autem ipſum animal aſpectu quodammodo videtur eſſe. at erit & animo grandi atque elato: quippe cùm & aries dux ſit gregis: faciet etiam omnia animo prompto: denique ad quæſtum ingenio erit ſolerti ac provido. nam hoc animal & citra moleſtiam vellus laneum deponit, & à natura facilè rurſum eodem veſtitur: ſed in Tauro natum tolerantem eſſe laborum dicunt atque ſervilem, quoniam & taurus iugo ſubiicitur. Eſt & qui ortus in ſcorpio propenſus ad feriendum atque ad inferendos ictus paratus, ob ſimilitudinem eius beſtiæ. Et iuſtitiâ præditus itidem is, quem enixa eſt ſua parens tempore Li-*

bræ, non niſi ob trutinam lanciúmque, noſtri inquam inſtrumenti, quo pondera libramus, æqualitatem. iſtis quid ineptius, aut deridiculum magis? Hactenus verba ſanctiſsimi Cappadocis: cui regale nomen, regale ſacerdotium, regalis ſapientia Titulum *Magni* contulerunt. adversùs hunc inſurgere, eſſet *contra ſtimulum calcitrare.* Idem enim doctiſsimus Athenis habitus Philoſophus & Theologus, Divi Greg. Nazianzeni delicium, & naturæ arcana ſubtili indagatione penetravit, ut Hexaemeron ab ipſo conſcriptum declarat; & adhuc tantò nobiliores curas, ſiderum orbibus intulit. Ne fruſtra laudâſſe videar, neu te ſectámque tuam convicijs onerâſſe, accipe ex hoc ipſo Baſilio Magno totum compendium. verba annumerabo. *Genethliacæ artis inventores, cùm in temporis amplo ſpatio, complures figuras ſuā ipſorum conſcientiam fugere percepiſſent, in anguſtum admodum temporis contraxere menſuras, ut minutiſſimo quoque & ſubitaneo articulo, quale eſt, quod Apoſtolus dicit, in momento, in ictu oculi, plurimum differentiæ ſit inter nativitatem: ut is quidem, qui in momento genitus eſt, tyrannus ſit, civitatum populorúmque princeps, locupletiſſimus, præpotens: is autem, qui natus eſt, temporis ſequenti momento, pauper quidam ſit futurus, aut mendicus, circulator, vel præſtigiator, ex oſtiis oſtia permutans, quotidiani conſequendi cauſsâ victûs.*

Po-

Poſito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus, obſecro, ſi hanc exactiſſimam temporis diviſionem, auctores ſibi valeant conſervare. nam ſimul atque editus puſio eſt, mas an femella ſit, obſtetrix explorat: tum vagitum exſpectat infantis; nimirum indicium vitæ eius, qui recèns natus eſt. quot hoc tempore ſexageſima vis præteriiſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo partum: qui editus eſt, quot minutiſſima momenta vis interea, dum obſtetrix loquitur, prætercurriſſe? præſertim, ſi fortè fortuna, fuerit non in conclavi mulierum Chaldæus ille præſens; ſed in ædium atrio vel veſtibulo, tempus horámque reponens, Et, cùm eum, qui definiturus eſt, diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat, ſive diurna fuerint ſive nocturna: quot minutorum, quæſo, prætervolat præteritque examen? comperto enim eam eſſe ſtellam, qua hora & tempus ſint exploranda, non ſolùm in quanta ſit in parte duodecima, ſed etiam quàm iuxta duodecimæ portionem partis; in quoque minuto ſexageſima, eorum, inquam, in quæ dividi diximus portionem: aut ut exactiſſimè comperiatur, quoto in ſexageſimo eorum, in quæ ſubdiviſa ſunt ſingula, ſexageſima illa prima, neceſſe eſt. Quæ enim ita ſint, ſi fieri non poteſt, ut tempus illud exactiſſimè quiſquam attingat; variatione vel breviſſimi temporis ſit, ut totâ viâ penitus

aberretur: decipiendi profectò non mediocriter eſſe videntur, tam ij, qui ſtudio indulſerunt huius artis, quam in ratione rerum nunquam eſſe conſtat. quàm ij; qui hiantes ab illorum ore pendent intenti. Hæc magnum Græciæ Lumen. Ne autem putes me moroſa tantùm Priſcorum PP. judicia obtrudere velle reluctanti: accipe & Neotericum, factionis tuæ coryphæum, *Ioann. Keplerum*, Cæſareum Mathematicum: à Tychone ſecundum. ambo novis ſectis addicti; ambo Romanarum ſanctionum contemptores vel diſsimulatores; ambo famoſi in artis ſuæ præſtantia magiſtri. & Keplerus quidem correctis quaſi primæ adoleſcentiæ erroribus, quibus implicatum aliquando ſe fuiſſe fatetur ultrò: vanitatem divinandi ex ſideribus demonſtravit in illo libro, cui titulus eſt *Tertius interveniens*. ibi horoſcopos omnes damnat deſcriptos; ex quibus temerarij audent certò prædicere naſcentium vitam & mortem, fortunam & infortunium, pericula & caſus. Negat Iudiciarios oſtendere poſſe, ſub certo aliquo ſigno natum fore divitem, ſapientem, luſorem, uxorium, violenta morte interiturum. Irridet tanquam fatuos & famelica ſuperſtitione contactos ſycophantas, quos nempe propter exigua admodum ſtipendia, mendicitas & latrans venter, ad inepta vaticinia compulerunt, ex ſolis aſtris jam felicitatem promittentium, jam intentantium minas, toti

alicui

alicui regno, provinciæ, civitati; (nedum orbi univerſo excidium) Tute ipſe, Perſi, cùm vacabit, cæteras hujus libri ſtricturas excipe oculis: & intelliges D. Auguſt. Serm. 34. de Temp. rectiſsimè multò antè pronunciâſſe: *De genituris hominum vani homines loquuntur, quod inſipienter opinantur.* Vt autem pateat inſipientiæ ſpecimen, Dictum S. Patris re- 32.
centiſsimo audaciſsimi Genethliaci exemplo confirmabo. Prandebat apud Iuris prudentem Aſtrologus. lautè habebatur ab amante omnes literas. laborabat enim cupidine multa ſciendi. Aſſederat menſæ & Domina conjux Iuriſconſulti, jam gravida, poſt unum alterúmue miſſum ferculorum à marito vocata, qui mos Germaniæ eſt. dum lætè vivitur, poſcitur, bibitur; Genethliacus ſpeculari faciem feminæ tam opiparæ, tam liberalis. poſtquam ad ſecundam menſam, inter jocos & hilaritatem aliquantiſper ſeceſſerat, penum curatura, utpote materfamilias. Paraſitus ad Hoſpitem converſus (ceu *Symbolam* verboſo compendio ſoluturus) gaude dulciſsime Mecænas, inquiebat: gratulor. egregiam uxorem habes, & fecundam tuo nomini ac gloriæ. namque, niſi omnia artis meæ myſteria fallunt (*ni fruſtra augurium vani docuere parentes*, dixiſſet potiùs ex Virgiliò) dabit tibi filium concolorem vultu, & moribus ſimillimum, carum principibus; Iuriſprudentiæ ſtudio prorſus ad-

mis

mirabilem. Vnde hoc ſciam, nolis inquirere. ſigna notavi, quæ non fallent. *Implevitque mero pateram: quámque impiger hauſit ſpumantem, & pleno increpitans ſe proluit auro.* Lætari alter, & ingeminare libamina commendare fiduciam & felicitatem divinandi. quippe maſculus heres in votis erat. tres puellæ jam præceſſerant. gnatus deſiderabatur, quæſitarum opum poſſeſſor, Bartholi Baldíque codicem & ſalinum lincturus. Quem ſperas exitum? *Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mus.* poſt decimi menſis faſtidia prodijt quarta Filiola. *Ingemuit mater: pallens pater ora retorſit.* ambo nugivendum ſumptuosè mentitum execrari. ille objectam falſitatem ſic diluere. Non in totum aberravit augurium meum. ſcitote filiam veſtram Iuris Doctori nupturam, prudentia & conſilijs ſupra famam Vlpiani evehendo. parum à vero abluſum eſt, ſi eatenus votis reſpondebit eventus. non igitur latuit me, aliquid clauſum hoc utero latuiſſe, quod ad Iuſtinianum pertineret, Pandectas ſaperet, corpus juris oleret. Alphonſe, vix me contineo, quin exclamem cum Martiale Poëta ex libr. ſpectac. *ô quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!* euge, bellè, ſagaciter, Genethliacè, inveniſti huic nodo cuneum aptiſsimum. Dieſpiter! ut hæc anguilla ipſis in natalibus capta, ſubitò elapſa eſt! ut nobilis iſte ganeo quamvis denſis caſsibus implicitus,

ſo-

ſolertiſsimè ſe extricavit! Video, nec te jam riſui parcere, Pernumia; agnoſcis tandem, opinor: quàm lubricè aruſpices amicti ſtellis incedant. minaces jaculantur fulmina de pelui: placidi fundunt oracula ex ſcaphio. verè quidam dixit: oculo fixo intuentes ſæpe ſolem, obtunduntur, ut cæcutiant; Planetarij aſtris errantibus avidiùs intenti, cum ijſdem errare diſcunt, & errant turpiſsimè. *Alph.* Cyriſate: ambo deludimur: ego, qui te non tam ferociter inſtructum credideram adversùs noſtra Mathemata, ſicut modò experior: tu verò, quia ab eclipſiographiæ examine, quod promiſeras, immanè quantùm abijſti. Quæſo: quid Genethliaci in ortum tuum peccaverunt, quòd primi oblitus propoſiti, contra hos ſolos tam furiosè detones. Argolum, Hiebnerum, alióſque tribules eclipticos confutare debueras, qui tibi tuóque Poëtæ negotium faceſsivere. *Did.* optime Pernumia, ineptæ ſeu faſtidioſæ Diſſertationi meæ, ut longiùs protraheretur, tu ipſe cauſſam ansámque præbuiſti. Theoriâ Planetarum tanquam ignorantem volebas obruere potiùs, quàm imbuere: ut illorum altitudinem, vaſtitatem, vires, motus, errores, ancipites congreſſus, efficaces aſpectus admirans, antę ſiderum agmen, *illam militiam cœleſtem*, quam Rex Manaſſes adoravit, ego quoque attonitus ſtarem; tum deinde facillimè omni-

mnibus fidem habiturus, quæ Aſtrologi effutiunt. ſecus accidit; & præliare ingenium contra has ſtrophas exacuendum erat. Revoca pedem ad limina Dialogiſmi noſtri. Argolica pronunciata, de Eclipſi, neſcio quæ mala quáſve tempeſtates invectura quum deriderem, ut retardares impetum, continuò minatus es emboliſmum, & horrendas veritates, ex magnitudine ſiderum demonſtratâ, varióque curſu & arcanis viribus deducendas. auſcultavi dili-
33. genter. dicta probè retineo; nec omnem fidem effatis abnego. ſed non perinde probaveris, Aſtrologum quantivis ingenij, nominis, experientiæ, famæ; ex Eclipſi quacunque naturali, etiam profundiſsima, præſagire poſſe excidium orbis. addat Soli in totum impedito cæcóque, quod tamen fieri nequit, turbulenta ſtellarum agmina: nec ſic perſuadebit. Non poterit Argolus, quantumvis induſtrius, ex conceſsis tabulis atque aſpectibus, craſtinum diem mihi ſerenum certò polliceri: qua audacia jam jam affore ultimum mundi, quod vetatur, prænuntiet? Sacræ literæ non damnant prognoſtica tempeſtatum, ex ſignis cœli. immò hortantur, inſtruunt, ac docent. (& tamen quot errores! quot eclipſes aliæ nimborum, in Faſtis non præviſæ! enimvero ultimum mundi diem protrahere velle ex adytis ſummi Metatoris temporum, conceptiſsimis verbis prohibent. In Act. Apoſt. c. 1. *Dixit autem eis: non eſt*

ve-

veſtrum, noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Item Matt. 24. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum; niſi ſolus Pater* (an & Argolus? (nempe quemadmodum Arnoldus Villanovanus: contra quem Leo X. Iulius II. propter ſimiles ineptias reum graviſsimè cenſuerunt. Itaque ut concedam, ſicut ſuprà aſſeruiſti, Saturnum ſidus eſſe periculoſum, æquè ac Martem flagrantiſsimo vultu terribilem (nam hi duo Planetæ conjuncti, Aſtrologos quàm maximè tremefecerant,) ut adijciam Regulum, cor Leonis, petitum ac læſum: præterea ſolem, fontem lucis, à Luna in Domo propria obſeſſum: num idcirco ſtatim *fractus illabetur Orbis, ut pavidos feriant ruinæ!* num hoc ipſo Domus Auſtriaca Argolicis præſagitionibus corruet, ut Othomannica ſurgat? num propterea avium turmæ aëris extorres, tempore indebito, cum Aquila Imperij decident ex alto in terras, defectu luminis, & metu bubonum! nihil horum conſecutum vidimus. nihil vi cauſſarum, ſive materiæ, ſive formæ; ſive opinionum, ſive præſagiorum conſequi potuit. ſcis, opinor, Alphonſe, & audîſti ſolemne illud epiphonema, à Philoſophis, ineptum ſyllogiſmum explodentibus uſurpari ſolitum: *ergo baculus eſt in angulo.* Ad ratiocinationem Argolicam, & quæ inde eclipticè de-

deducuntur, prorſus eodem modo reſpondebo. ergo Baculus S. Iacobi (certa poſitio aſtrorum) eſt in Triangulo (itidem diversâ ſiderum figurâ) nam & hoc aſſertum fuit: excisâ Viennâ roborandam eſſe Conſtantinopolim. an verò aliam rationem, propter quam regna mutantur, exquirimus, quàm à Prophetis revelatam? *Ipſe* (Dominus) *mutat tempora & ætates: transfert regna atque conſtituit* Dan. 2. v. 21. ALPH.. Eclipſes igitur nihili facis omnes? nullum damnum inferunt aut portendunt, ne quidem ſolares? Atqui Archelaus rex, in eclipſi ſolis, regiam clauſit ſuam; filiúmque totondit, ut in publica calamitate. DID. Cæremonia regalis eſt, in favorem regum inſtituta: ut populus, dum ſolem aſtrorum Principem repentè afflictum lugere putat, & luget in cœlo: parcat Principibus opprimendis in terra: oppreſsis verò condolere diſcat. Solis quippe labores, redundare in mortalium damna: nullum quoque Monarcham ſeditionibus peti, aut perire, niſi in perniciem rebellium. meritò mœrere ſubditos Domino extincto. metuentes peiora perpeſsis. revoca in memoriam Alexandri M. dictum, quo Darium Perſarum Regem, Regíſque Mythram tremefecit. *Nec Mundus duobus Solibus poteſt regi: nec duo ſumma regna, ſalvo ſtatu rerum, poteſt habere.* Curt. Sol iſte Pellæus, eclipſin corporis ſu-

ſupremam Babylone paſſus, (hoc eſt mortuus)
plures habuit ſpectatores, quàm ſereniſsimis
victoriarum radijs micans Perſepoli. Tota
urbs conſternata ab inſolitum ſpectaculum,
horrido lugubríque pavore infremuit. *Ac pri-
mò ploratu lamentiſque, & planctibus tota re-
gia perſonabat: mox velut in vaſta ſolitudine,
omnia triſti ſilentio muta torpebant: ad cogi-
tationes, quid deinde futurum eſſet, dolore con-
verſo.* Curt. nónne vides, ſuperbum Pellæi
Iuvenis funus, ambitioſo ſatraparum ſquallo-
re fuiſſe impenſiùs adoratum? Hæc & Arche-
lai Regis ſollicitudo, ſive ambitio fuit. Solis
ortum, Solis occaſum æmulari volunt & ſolent
Reges. inter plebeia funera, etſi jam plebe
minores, cenſeri dedignantur. ALPH. Atqui
& Platonis ævo capitale fuit, dicere, Solem à
Luna obſcurari. DID. Mirum profectò, ſi 35.
Ignorantia, quæ multum cerebri & capitis non
habet, aliquo capite plexa fuit! Solem enim
ecliptice obſcurari, tantùm Idiotæ putant. So-
li nihil unquam decedit, quod meliùs me cal-
les. ergo ad alium finem dirigebatur edictum:
ſummis capitibus myſticè cavebatur. piaculum
eſſe; ſi dicatur à Luna Solem obſcurari: hoc
eſt, à cive Principem obſideri, aut magiſtra-
tum in vinculis teneri captivum. ſuperſtitione
regitur vulgus, útque timidiùs ac fideliùs ſer-
viat, cœleſtibus oſtentis etiam terretur. Legi-
mus integros exercitus ad improviſum Lunæ

de-

deliquium ſtetiſſe attonitos, quippe naturalis cauſſarum ignaros: quarum periti, inconditam multitudinem, omnibúſque vel nullis religionibus obnoxiam, velut opportuno remedio flexere perculſam. minima nonnunquam ex ingenio uſurpata, magnam animorum inclinationem faciunt. neſcis, Purpuratum aliquem occidiſſe nobiliſsimum falconem, quod ſuſtinuiſſet aquilæ congredi: conjugi nimirum & populo in exemplum timendi ſupplicij, ſi quid ſimile in Dominum auderent? ALPH. Rectè tu quidem iſta memorares, dummodo & agnoſceres quandam vim immutandi corpora verè eclipſibus ineſſe, non tantùm ſuperſtitiosè ad vulgus in officio continendum
36. aſſcribi. certè Ptolomæus (qualis quantúſq; vir!) agnovit. num & hunc ſpernes? DID. Minimè verò. Mathematico, quem omnes eximium habent, & nos ſubmittere judicium par eſt. ALPH. Monuit autem iſte eximius; *conſiderandum eſſe, quanto temporis intervallo durent. quotquot enim horas ad æquinoctium porrectas invenerimus; tot in Solari quidem deliquio annos; Lunari verò Menſes durabunt, in ſpem metúmque prodigioſorum eventuum extraordinariam caliginem ſecuturi. Si defectui Saturnus dominetur: ſcias rigidam portendi hyemem, morbos diuturnos, labes, moleſtas fluxiones, febres quartanas, exſilia, inopiã, anguſtias, luctus, terrores, mortes ætate provectorum.*

ctorum. Did. Nunquid quia ſenili ſpecie Saturnus pingitur; ſenibus duntaxat ſandapilam ſtatuitis? Deinde ut febriculoſum aliquid de febribus invehendis concedam; nunquid & exſilia in cenſum malorum venient? at enim qui proſcribuntur, plerumque flagitio proſcribi merentur. hoc ex libertate animi pullulat, in quam aſtra nil valent. Alph. De libertate non diſputo. niſi quatenus Galenus dixit, ex mutanda humorum temperie, mutari & animorum deſideria, cæteráſque craſes. Did. Quid 37.
tum poſtea? Alph. Homo animal eſt. animalia perſentiunt Eclipſin. Did. Quomodo? Alph. Veſcentia pabulo depaſcitur, & imminuit illud atque debilitat, vi morbifera malorum inficiens, excitat frigus nebuloſum, tempeſtates adverſas; denſas nubes, nivis magnam & importunam molem: unde ſerpentum multitudo concreſcit. in fluvijs & mari creat hyemes, naufragia; piſcium interitus. in terra vaſtitatem per erucas, locuſtas, grandines, inundationes. Did. O peſsimum Saturnum! quid porrò? Alph. Porrò hoc: Mars feruore nimio ſata & corpora corrumpit: affert febres tertianas. Did. Abſiſte. jam febriturio. immo concutis oſſa. Alph. Si moleſtus ſum, recenſere deſino. atqui diſertiſsimus explorator hæc ſcripſit. Did. Nihil infringo. paroxyſmum neſcio unde inſerpentem viſus ſum mihi aliquem ſentire. tu tamen perge referre, quæ refers.

Alph.

ALPH. Aio Martem, ſi ab Ecliptico ſole propiùs abſit, minari ſanguinis eruptiones, morbos acutos, violentas mortes, contumelias, injurias, incendia, homicidia, rapinas, latrocinia. ſævit bellis, ſeditionibus inteſtinis, carcere, populationibus, inopinatis cædibus, & principum iracundiâ. DID. Ohe! ſatis eſt. rumpis ilia. Eclipſis iracundiam Principum procuret! quæ cauſſa hujus liberrimæ affectionis, qualem
38. præcordia & fel tantùm cient. ALPH. Quia commovet calidos ventos, peſtilentes, tabificos, fulminum jaculationes & flammas. inde inſaniæ. DID. Quæſo, non inſaniamus ambo. tu fabulando; ego auſcultando. tu loquendo; ego credendo. Iam dixi: Magnam multámque vim ſtellis ineſſe, minimè inficior. ſed tantam nego. miſsis nugis oppugno Argolum, ejúſque aſſeclas. peto, qua fronte, quáve audacia, quibus argumentis, ex hoc deliquio ſolis regna terrarum everſum iri voluerint opinari, non ſatis eſt ad tantæ rei certamen. ALPH. Idem Ptolomæus, cujus ingenio atque ſcientiæ paullò antè honorem aſſeruiſti, mutationem regnorum Defectibus Solis atque Lunæ imputat. præſertim ſi (inquit) ex curſu ſtellarum, loca inimica peragrantium, horror inviſus
39. acceſſerit. DID. Ptolomæo veſtro fidem in omnibus utique non derogo; in hoc tamen à Fide Chriſtiana alienum ſequi piget. Ægypti pla-

placitis ſubſcribere erubeſco. Regna transfer-
ri per eclipſes (niſi grammaticè velis, aut poë-
ticè potiùs, per Metaphoram, Metatheſin, Me-
taplaſmum ludere) inſolitum eſt. Quis Re- 40
gna mutet, Eccleſiaſticus pronunciat. cap. 10.
v. 16. *Exhonoravit Dominus conventus ma-*
lignorum, & deſtruxit eos uſque in finem. ra-
dices gentium arefecit Dominus, & plantavit
humiles ex ipſis gentibus. ALPH. quaſi di-
cas: eclipſes ſigna erunt, quibus orientibus,
Deus regna mutabit. DID. Nihil minùs. 41.
Multos *depoſuit potentes de ſede* Deus, nullo
defectu Solis Lunæve præcedente. Aſtrologo-
rum frivolæ divinationes ad hunc apicem non
pertingunt. Cùm Regi Babylonis Nabucho-
donoſori ſomnium divinitus injectum fuiſſet,
quatuor ingentium regnorum ſucceſsionibus
gravidum, nullus Mathematicorum explicare
potuit. Chaldæi tum præcipui erant. *ſermo*
enim, inquiebant, *quem tu quæris, Rex, gra-*
vis eſt. nec reperietur quiſquam, qui indicet
illum. Sed neque Regum quisquam magnus
& potens verbum huiuſcemodi ſciſcitatur ab
ab omni Ariolo, Mago, & Chaldæo. audin?
Quis hîc locus eclipſographiæ? *Tunc Danieli*
(non Chaldæo) *myſterium per viſionem no-*
ctu revelatum eſt. audin? Cœli conditor, non
cœli oſtentum, arcana aperit; Vatibus, non
Mathematicis. Itaque imprudenter Argolus 42
putavit, ex eclipſi Solis prodigioſâ, Romanæ

Monarchiæ majeſtatem Conſtantinopolim translatum iri: Auſtriacæ Domûs gloriam à barbaris proculcandam eſſe, imprudenter, dico, putavit hoc Argolus? addo, etiam impudenter, & ſecundùm veriorem Matheſin, imperitè. quippe contrarium, certiore judicio, ominosè eliciendum erat. ALPH. Quomodo? antiquum verſum nôſti. *Cæſaris Imperium puriſſima Solis imago eſt.* Septem Electores, referunt ſeptem Planetas: numerúmque & dignitatem ab illis olim ſumpſerunt. ut ad cœleſtis regiminis formam & modum terreſtre aliquantùm componeret. *Sol in cœlis, Cæſar eſt. Cæſar in terris, Sol eſt.* hinc deducas, licebit, auguria. ut magna ingenia conſpirare dicuntur, ſic maximi rerum Domini, Cæſar & Sol, ſympathicè conſentiunt, eclipticè obſcurantur. Atqui Luna, Turcarum ſidus, Solem Romani Imperatoris Typum, penè totum obtexerat. ergo meritò conjectabat Argolus, Romanum Imperium totum à barbaris obterendum. DID. ergo, ut ſupra dixi, *Baculus S. Iacobi*
43. icetum eſt in *Triangulo cœleſti.* Ne tibi nimiùm complaceat inventa ſimilitudo ſeptem Planetarum, & Septemvirûm. ſcimus, aliquâ elegantiæ figurâ quædam necti, non naturâ: figmento, non incremento: dignitate accommoda, non parili virtute. alioqui ſi accito Planetarum numero, pérque omnia reſponſuræ convenientiæ obſtinatiùs indulges, probaturus

Cæ-

Cæſaris ſequiorem fortunam,& quodammodo tenebras ex ecliptica ſolis caligine derivari: Si Curia Planetarum cœleſtium,ſeptemviralem noſtram terreſtrium penitùs repræſentat: oſtende mihi octauum Planetam; ego tibi tamen octavum Electorem oſtendam. Vides, ſæpe decorem quæri ab iſtis comparationibus, non rei veritatem? niſi diſsimulare alienam laudem velimus,ex Poëtarum ingenijs, hujus inventionis acceptata venuſtas fluxit: ut Sol diceretur. enumerandis ſuperſedeo cauſſis. inde tamen neceſsitatem agendi patiendíque cum Sole communem deducere, quàm ſtolidum ſit, quis non videt? aut ſi ubique aſtrologicè nugari licet, ecce, quæ ego ſumma facilitate, ex veſtri Ptolomæi præceptionibus deducam. ſic arguo. Vbi major Solis atque 44.
terribilior eclipſis apparet, ibi majora damna, ſicut Mathematici tradunt, ſentiri neceſſe eſt: ſed anno quinquageſimo quarto, hæc, de qua diſputamus, eclipſis maxima Conſtantinopoli apparuit. ergo. quanta enim poteſt contingere in ſole, extitit ibi; & Viennæ viſam integro digito ſuperavit. poſſem itaque longè prudentiùs dicere: totum Byzantinum Tractum cum Chalcedone cum Phoſphoro & Boſporo, omnibúſque aruis, quæ Suldanus poſsidet, exitio æternæque nocti conceſſura. Dicerem, Martem in via Lunæ ſubijcientis ſe Soli, ſtetiſſe, interminatum tyranno *Mechmeti*

Han, qui nunc ſummum acinacem pro ſce-
ptro gerit; niſi ad eum modum cornua ſubje-
cerit Imperatori Romano; cum Ottomanni-
genis funditus excindendum. Dicerem, Satur-
num, quòd ab ingreſſu Solis ſteterit, ſubmotu-
rum omnes Martis minas, ſi Thracius fortè
Thracibus favere mallet. Dicerem. ſed quid
opus? cùm ipſa annorum ſpacia, terrores Ar-
golicos ſecuta, vanos eventus eluſerint. Or-
bis adhuc ſtat: homines vivunt: Auſtria flo-
45. ret: Romana Majeſtas in Leopoldo hujus no-
minis primo, útque nonnulli opinantur, Tur-
cis fatali, reſplendet. Piarum mentium vota,
ſapientûm etiam ſunt omina. faceſſant Lunati-
ci cum Luna Machometica. Faxit Deus, & ju-
beat, ut Auſtriaco Soli, in Templo S. Sophiæ,
Arabes quoque bello capti, thura adolere co-
gantur! ALPH. Votis quidem & deſiderijs di-
vites ſumus, ſed Argolum præſenſiſſe autumo
Bellum Turcicum, quod anno hoc ſexageſimo
primo, totam Vngariam, immò totam Euro-
pam concutit, utique vi ecliptica. DID. vi pha-
natica, dicas: quid concutit, aut quis? Turca!
nullum hoſtem contemnendum eſſe cenſeam.
ſed ſi Germania & Germana virtus conſpira-
rent; brevi tempore, non univerſo conflictu,
adigerent purpuratos Baſſas, cum Suldano ſuo
uſque ad incitas; ſtipem Viennæ oſtiatim quæ-
ſituros. ſi non fiat, culpa fatali ignaviæ aut pro-
meritæ infelicitati aſcribetur, abſit autem, ut

hoc

hoc augurer. jam præſagis temporum notis olim ſignatum intelligo. LeopoLDVs ſtabILIet orbeM. DeIICIet LVnaM, propterea etiam DeLICIVM orbIs vocabitur.

Tantáque ſe rudibus Pietas oſtentat in annis,
Sic ætas animo ceſſit; fateantur ut omnes,
Romani Imperij venerabile pondus & oſtrum,
Quamvis in teneris, & adhuc juvenile rubenti
Sic quoque ſerò datum. Prudentia tranſilit annos;
Majeſtas in fronte ſedet. Clementia Divi
Patris in ore natat: virtus in pectore toto eſt.
Haud equidem illecebras ſpirat, vultúſque decorem
Femineum. faciem generoſam armata voluptas
Digniùs incendit, repletam Cæſare multo.
Latis cæſaries humeris infunditur atra,
Et malè pexa fluens, ignaráque dentis eburni;
Neglectu formoſa ſuo. Qui Quintus habetur,
Carolus ex oculis, & non ſine fulgure lucet
Mens Animúſque capax, & torui gratia Martis.

Alph. Vt adverto, encomiaſten agis, & ipſe Laurum momordiſti, Cæſaribus imponendam. Did. Aliquid, noſtro Poëta monſtrante, didici: eluctari tamen necdum valeo in apicem, quem Auſtriaci laudandi mererentur. Qui Templum Honoris virtute Ferdinandi III. apertum deſcripſit: ille credebatur aliquã partem debitæ magnitudinis explêſſe. Ingredere hanc Baſilicam: circumſpice ornamenta gloriæ, dotéſque naturæ, & trophæa victoriarum, conveſtita ſententijs ac ſonantibus phaleris. quidquid ibi inveneris pulcrum, quidquid de auguſtiſsimis Progenitoribus aſſertum ab

avis & Patre, in auguſtiſsimum quoque nepotem & filium, rectâ lineâ, transferas, licet. hereditate regna, & ea relinquentium virtutes poſsidere, publica fama eſt. Cæterùm univerſæ Domûs Auſtriacæ gloriam, contra putidas Argoli ſuſpiciones, Poëta noſter hoc ipſo Poëmate, defendendam atque exprimendam ſuſcepit. Lib. 2. n. 14. Sinamus, ſinamus Alphonſe, *Leopoldum* hujus nominis primum, communibus auſpicijs ire in Turcam. Quanquam divinandi ſcientiam ex aſtris, mihi Argolicè non arrogo: at juvat pia vota accumulare, prudentibus conjecturis ſtimulare fiduciam; & faventibus Superis polliceri optima. Iuventa florens cum innocentia vitæ; viridis ætas cum maturitate morum; in tanta curarum mole par conſiliorum pondus; medijs in belli paciſque negotijs erecta mens, & ſingularis Pietas erga Deum ac Superos; audacter dico, promittunt plurima, ſi non omnia. eatur bonis avibus Byzantium. honeſtiùs hoc ſaltem optare licebit, quàm ex vano pavore ab Aſtrologorum, univerſam Domum Auſtriacam acinaci devovere immolandam, repetatur ferro ablata Magni Conſtantini ſedes ac gaza, cum omnibus ſpolijs, quæ ex Vngaria in ſpoliarium barbarorum avecta ſunt, utinam oſſa Georgij Caſtrioti Scanderbegi unà excitarentur: & Epirotarum glorioſi Manes è tumulis redivivi, ad animandum exercitum in omnium militum præcor-

dijs

dijs tonarent. Quem in finem jam olim Poëta oden compoſuit *Claſſicum* inſcriptam; reperiendam in veſtibulo Libri Epodon. ibi Lyrâ in Tubam mutatâ, exhortatur Ordines S. Rom. Imperij, ut inteſtini belli ſedem à Patria in Turciam transferant. Carminis habe ſynopſin. indignatur vecordiæ Teutonum, Popularium ſuorum, in propria viſcera crudeles dextras dirigentium: quibus oportebat colla Thracum detruncari. deſcribit provincias, quarum ſpolijs ac raptu, Oſmanni gregaria vilitas, ſaginata intumuit. demonſtrat, Biſtoniam Lunam ſua incrementa ex radijs Rom. Solis ſumpſiſſe. Queritur, per diram Ottomannidarum Portam trahi evoluíque, tanquam per macellum, captiva Chriſtianorum corpora, in duriſſimam ſervitutem, & ſævisſimas cædes. Digreditur deinde ad modos, quibus infeſtiſsimus Europæ, Aſiæque, & Africæ tyrannus cohiberi, comminui, aboleri poſsit. Denique excitat ſpem vivam ex relatis pluribus victorijs: non impares adhuc hodie ex immaniſsimo hoſte referri poſſe; modò arma & animus adſint. ſed cur ſingulatim quaſi per indicem, Auctoris propoſitum, & armati Poëmatis ſenſum mutilo? niſi reſpuis, ipſiſſimum Carminis militare corpus integrum oculis ſubijcio. perlege, ſi placet: dum ego hanc Tabulam, *Extremum Iudicium* referentem contemplor. ALPH. omnino, non vulgari penicillo, aut inani pictura

lumina animúmque paſces. manum ſummi artificis, Petri Pauli Rubenij vides, curioſi & horribilis oblectamenti inventricem. perge ſpeculari, interea hos verſus polemicos evolvam.

CLASSICVM AD ORDINES S.R. IMPERII. 46.

Ut inteſtini Belli ſedem, à Patria in Turciam tranſferant.

QVid juvat in proprium corpus ſævire, QVIRITES:
Hoſtíſq; nil parcentis, heu fungi vice?
In patria morteis, & veſtras perditis iras:
Efferte dignis commodandas ſtragibus.
Finibus IMPERII ſonteis efferte triumphos,
Nocentiori diluendos ſanguine,
Ire decet, quà Thraces arant: ubi Boſporus ingens
Ad ſumma tollit aſtra nimboſum, caput.
Hic habitat cervix toto mucrone rotanda.
In hujus omnis ſæviat fibras chalybs.
Iſte odium Mundi, Mundo ulciſcente, meretur.
Cum ſtirpe tota, totus exſcindi nepos.
Quis neſcit, quo ſe gens hæc promoverit ortu?
Vt illa veſtris læta damnis creverit!
E tenui nido pennas OSSMANNVS in Orbem
Latè tetendit, & volando latiùs:
Romanis AQVILIS infra ſua ſceptra relictis,
Spretóque vani fulminis bitumine.
Heu, ubi nunc florens mutato GRÆCIA vultu?
Maret probroſo ſub Gelonorum jugo.
Et campi & montes, & ſilvæ & flumina lugent;
Populíque & urbes, & tenaces Inſulæ.

Lugent THESSALIÆ ſaltus, & Pindus & Othrys:
Athóſq; & Oſſa, cúmque Hymetto Pelius.
Te quoque barbaries, HELICON doctiſſime, ſepſit:
Quod Phœbus unum forſan haud præſenſerat.
Quáſque feras nutris; nunquam, licèt Orpheus alter
Cantet, ſonantis voce manſueſcunt Lyra.
Perditus Eurotas, liquidíque Alphæus amoris,
Luctante puppes Thracias tergo ferunt.
Innache, quæſita eſt olim tibi filia; ſed nunc
Amiſſus ipſe, gemina defles funera.
Herculeis frangi malles Achelöe lacertis,
Libidinoſo quàm ſubeſſe Concano.
Addidit & Lemno Scyron, Lesbónque, Rhodónque,
Qui Chia vina, potat idem Cypria.
His fruitur Prado, cujus Bithynia tota eſt;
Et quidquid inter funditur Chalcedona
Indomitos idem Piſidas parere coëgit.
Paret ſubactus Cappadox, paret Cilix.
Nil penè ex toto ſupereſt Oriente decoris,
Quod non recenti Thrax rapina polluit,
Ivit in amplexus turpeis AURORA Tyranni,
Deſerere caſtum juſſa Tithoni torum.
Non tam manè gemens occiſum Memnona plorat,
Quàm parricida vim ſuúmque dedecus.
Prima dies, noſtris modicè libanda feneſtris,
Infecta diro prodit hujus halitu.
Unde per Europam corrupto ſidere peſtes,
Centúmque eodem fonte fluxerunt mala.
At neque devexo petulans amentia Soli
Parcit, nec ullâ raptor exſpirat morâ.
Pannoniam quoties ferro populatus & igni,
Venetúmque fineis, Marte cuncta miſcuit.
Eheu, raſa caput famulatur Buda Tiara:
Regalis Alba periit, & Strigónium.
Auſus & Auſtriacam ſubter penetrare VIENNAM,
Quantum minarum foſſor ejecit ſolo!

Servorum lamenta querar, triſtéſque cataſtas,
Infráque ſcalam vincla captivi gregis?
Mors miſeris optanda quidem, ſed amata negatur;
Et mœſta magnis vita mactatur malis.
Ergo homines, ritu pecorum, terráque maríque,
Sparis aguntur, aut trahuntur cannabe.
Paſſim Nicopoli reſonant immanè catenæ.
Et Chriſtianus influit ſanguis foro.
Antiochi muros intra, cauláſque Damaſci,
Merx flenda vanit, atque flens, & vapulat.
Delectu rabies gaudet. formoſior ætas
Mollita cultris, non amare cogitur.
Deformis, tantò pulcris felicior annis,
Graveis frementis tolerat inſultus Heri.
Scinditur, & talo ſic caſtigatur ab immo;
Vt macerante plaga verminet ſale.
Femina nobilior, ſervata in pellicis uſum;
Caveis, ut olim bella clauditur fera.
Deterior pellis, prædæ in faſtidia cedit;
Formámque præſens ſenius abſentem luit:
Damnatúſque fame, duris aut ſudat aratris,
Aut diſcit ovibus invidere paſcua.
Servi in tranſtra cadunt. illos roſtrata triremis,
Medióque ponto durus exercet labor.
Víxque fatigati reſpirant: cùm malè nautas
Terribilis ultor multat, ac remos ciet:
Fortiter impacti ſtrident in terga cameli,
Crepante ventris tauriformi tympano.
TEVTONIÆ proceres vóſque ô, quicunque cruore
Gaudetis uti perditorum Teutonum:
Iſta, precor, veſtram moveant ſpectacula mentem.
Cur heu, (pudendum!) civis in civem ruit?
Si feræ bella placent, placeant & opima, ſuáſque
Meritura laudes ac ſecundos auſpices.
Cædibus Odryſijs juſtum ſatiate dolorem.
Mergatur avida fonte Strymonio ſitis.

Pars autem veſtri petitur quotacunque Gradivi,
Vt Turca toto pereat expulſus die?
Non opus eſt Getica vires adhibere ruina,
Cum ſcelere quantas veſtra clades exigit.
Sufficit immodici centeſima portio belli,
Et ira deſes, nullius cotis memor.
Hoc, quem fuderunt ſeptem jam ſanguine luſtra,
Quoties Eoum potuit acquiri caput!
Vos CONSTANTINI ſummâ jam ſede locati,
Regeretis uno duplicem nutu Polum.
Iret ab Occaſu ROMANVM NOMEN ad Ortum:
Et ubique CÆSAR diceretur Flavius.
Veſter Halys, veſter Tigris foret; Aulide portu
Iam veſtra ſtaret claſſis in Bœotia.
Vltra Caucaſeas, & Tauri clauſtra, pruinas,
Spoliis ſuperbus miles iſſet barbaris
Qui nunc mentis inops, patriaque in finibus hærens,
Seu vincat hoſtem, ſive vincatur, furit.
Stultitiæ genus eſt peilis opponere peila;
Et avis nepotes, atque natos patribus:
Spicula cùm poſſent aliena in viſcera mergi,
Laudante cœlo teſte ferientis manum.
At neque militiæ tali ſua laurea conſtat;
Nec digna ferrum nundinatur præmia.
Pro veteri clauſtro, vilis pro ceſpite gleba,
Sterilíque ſaltu tanta ſudant crimina,
Pinguius ô quanto daret uber ACHAIA: quantò
Fertilior illis naſcitur campis ſeges!
Vitibus arva rubent, pleníſque canalibus exit;
Et navigando ſpumat Autumnus lacu.
Innumeris auri venis ſecreta coruſcat,
Partúque tellus geſtit exſolvi ſuo.
Arma modò in diros convertite Biſtonas, arma.
Opulenta nullam præda deſtituet famem.
Irruite, & Fatis, & veſtro credite vati:
Ne diſſidenteis occupet prior Scytha,

Inferius totam, ſociis ſolatia caſis,
Tot liberorum millibus gentem date.
Effetas Veneris pecudes, recutitáque Luna
Armenta, latis ſubmovete paſcuis.
Alcides veros Othomannica ſentiat Hydra
Ne viperino colla trunco pullulent.
Si pelagus tentare placet; fluitantia venti
Iam bella ſpirant, & petunt ſtipendium;
Spondet opem Boreas & mobilis Africus alis;
Notúsq; & Eurus littore accincti ſedent;
Immenſam Oceano ſtragem renovare parati:
Qualem CORINTHVS vidit olim territa.
Cùm ſuper Hiſpanas acies Victoria ſedit,
Siderea pulcra ſimilis ora virgini.
Treicióſque canes in gurgite Naupactao
Oppreſsit altis, ſúsque déque fluctibus.
Ite alacres, plenáſque viris infundite puppes.
Praſtabit ipſe tuta Nereus aquora.
Iam buccas inflat, toto patre turgidus Auſter;
Siccáſque pennas ſpargit ingenti ſalo.
Deſuper armatis in Turcas nubibus ather
Piceíſque tadis atra tempeſtas ruet.
Vobis (Omen enim pronum eſt, deducere cœlo)
Manifeſta dextro ſigna fulgent Caſtore;
Hortantúrque viam. Vadant, proclamat ORION;
Et acuta primus aſtra vaginâ eripit,
Vt juvet, & ſtrictos tantiſper commodat igneis.
Arripite fulgur militaris balthei.
Quanquam etiam ſi nulla foret ſupèr haſta, vel enſis;
Adhuc in hoſtem rectà eundem cenſeam
Quid petitis gladios? odio pugnatur & irâ:
Manuúmque majus ipſa ſit telum manus

Alph. abſolvi penſum meum caſtrenſe: Poëma, non diffiteor, operoſum & Martem ſpirans.

48. rans. Actu, Didace, adhuc in imagine defixus occuparis. *Did.* Integra dies tuenti vix ſuffecerit. Tam formidoloſum ultimæ diei Theatrum, pro Chriſto Iudice exſtructum, ingenioſus & diligens Belga juſtis coloribus expreſsit. Quid enim? *Iudex vivorum & mortuorum*, in verſicolore ſedet arcu. *Deus homo* elucet ex ſitu. quàm blanda majeſtate demulcet à dextris cubantes in nubibus: tam ſevera percellit ad lævam tremefactos in terra. niſi fallor, oculum ſiniſtrum damnatis fecit torviorem: cùm tamen dexter amabili aſpectu Beatorum renideat. ut Genij cœleſtes affabrè facti à quatuor ventis ſpirare videntur! commovent auras, turbant maria, conquaſſant fundamenta terræ, putes audiri clangorē buccinæ inſonantis illud D. Hieronymi: *Surgite mortui, venite ad Iudicium.* Credas adverti poſſe igniflui maris æſtum: & quodammodo tonitrua fulminibus denſa concurrere. apparet Luna verſa in ſanguinem. cineris ſacco Sol operuit caput. inſuper ignis omnia devorans ſævit. montes fumant: elementa ſolvuntur. ſolum crepat: videas ſepulcra hiatu aperta diſcedere. jámque egreſsi manes veſtiri incipiunt. pars, mutati lætiùs comuntur: pars, in obſcuro relicti, funereo ſquallore ſordent ecce, hic Maurus aliquis, ſaxo remoto, cavum eluctatur: hic nondum omnis emerſit. iſte in plenum hominem ex oſsibus attollere ſe conatur.

tur. aliquorum vultus dimidios cadaveroſus horror adhuc inficit: aliquorum felicitas excuſsit. Angelorum ope, quantumvis ſtupente naturâ, ubi triumphat ANASTASIS. Stat immenſa multitudo terrigenarum ante Iudicem; nondum tamen omnis diſcreta. Quàm diſtinctorum corporum diverſæ ſunt formæ! hinc lætæ, hinc triſtes: *hinc* pulchræ, hinc turpes: virtutum ſcilicet & vitiorum prœmia. Demiror virum unum, qui inter cæteros jam tumulo exemptus, humi etiamnum reptans caput quantiſcunque viribus erigere nititur; & ceu Iobus redivivus eſſet, os adhuc funebri gaudio dilutum, quaſi in hæc verba laxat. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die, de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum meum.* Iob. 19. v. 16. ALPH. Rectè cenſes Cyriſate: ſed in figura Iobi ſcias Rubenium, Apellem ſeculi noſtri, ſuammet effigiem propinâſſe, quæ Chriſtiana cogitatio tantum artificem utique non dedecuit. dignum proinde, cui mortuo Illuſtriſſ: ac Reverendiſſ. Epiſcopus Antuerpienſis ipſemet, Romano more, parentaverit: ad ſonitum fatalis tubæ, cum Huſſæo Principe rurſus excitandum; atque ut ſperamus, rapiendum in aëra obviam Chriſto. DID. Itane verò. tam ſanctè vixit? non omnium Pictorum hic genius eſt, illorum præſertim, qui officinam ſuam, in cauponam

vel

vel lupanar convertunt ubi proſtant meretrices potiùs, quàm imagines. ALPH. Vir integer & rectus, permiſit nonnunquam arti ſuæ curſum: ut quaſdam icones ad hilaritatem corporum. (ſicut & in hac Tabula vides) videndorum laxaverit; nihil tamen niſi ex honeſto egit. nullum laſciviæ ſive decus, ſive probrum, ex omnibus quæſitum eſt. artem oſtendit: ſcelus contempſit. tanquam ſi in Iconoclaſtas pugnaret, arma colorata ſtrinxit: S. Damaſcenus calamum, Rubenius penicillum. Iam verò Chriſti Naſcentis Patientíſque myſteria, incunabula & crucem, & in hac Tabula Iudicantis gloriam, quis vivaciùs expreſsit? ſed & D. Virg. Genitricis Dei eximium cultorem, omnia ejus opera probant. Quomodo aliquos curſores, Dominorum miniſtros, *à pedibus* vocamus; ita hic, Terrarum Cœlíque Reginæ, *à manibus* quodammodo fuiſſe videtur. tot venuſtas illius facies tam perita manu, támque diverſis modis, ex Libro vitæ, tanquam ex cœleſti ſpeculo repercuſſas, eleganter exſcripſit. nónne vides in hoc ipſo ultimi horroris & honoris ſpectaculo, quàm decorè coram Filio mater cernua ſe gerat! demiſſam; ſtantem tamen pinxit, non ſupplicem. Vir prudens cogitabat ex vero, Virginem prudentiſsimam, utique non ampliùs preces oblaturam de genu (qualiter illiterati pictores curuant) pro damnandis, illo tempore, quo deſinet eſſe tempus.

pus. Hic enimvero Belga, & liberalibus diſciplinis excultus, & artis ſuæ ſpecimen, extremum Iudicium, cum judicio editurus, toties laudatum Pictoribus Decorum, exquiſitiùs ſervare noverat. quod alij parciùs diſtribuunt, quibus nullum cum Muſis & eruditione commercium eſt, adhæc non tantùm meliora cæteris, ſed & plura perhibent ſtatuiſſe monumenta glorioſæ induſtriæ, intra triginta annorum ſpacium: quàm omnes Pictores Germaniæ ſimul ediderint. Did. inſolens pulchrúmque præconium. Alph, Et medius fidius veriſsimum. teſtabuntur hoc ipſum opes heredibus relictæ. in æſtimationem regiæ gazæ computari poterant. Did. Dicta tua ſuffragium quoque approbat meum, vel ſolâ hâc Tabulâ perviſâ, aſpice glorioſorum corporum in auras ſubvectorum miram dignitatem. ſingularem ijs gratiam, ſingulare decus, terreſtribus glebis Adamitarum non debitum, afflavit. ac ſi oſtentent quatuor Dotes ſuas, rubent, candent, florent, fulgent, blandiuntur, oblectant, volant, coruſcant. formoſiſsima ſpecies ex mixtura colorum incognita, cognata tamen corporibus humanis ſplendidè reſultat. Cenſores artis, qui rem intelligunt, in hoc chromatum miſcendorum genere, exiſtimant cunctis palmam præripuiſſe Rubenium. ſed enim, aſpice, damnandis Orco cadaveribus, alia harmoge parata eſt, prô lurorem & feda ſpectra! en, ca-

pri-

pripes Alaſtor, reum ejulantem, ſecum in flammeas barathri fauces præcipitat. terribiles viſu formæ medijs in incendijs fumant. conſummatæ artis miraculum habes, Pernumia. Quid rides? Alph. Ignoſce, obſecro, Didace. non ipſum archetypon Rubenianum cernis, imago, à perito quidem & in primis addicto mihi viro, in hoc compendium, imitatione quadam derivata eſt, ut ipſe cenſes, feliciter. Cæterùm Ideam de fonte ſuo manantem, exhibet Templum PP. Societatis Iesu, Neoburgi ad Iſtrum. illic ſpectabis, in Ara ſumma, ſi velamen amoveatur, ingenti ſpacio exporrectam: Donum Sereniſsimi Principis VVolfgangi VVilhelmi, Com. Pal. qui & Collegium cum ornatiſsima Aede fundavit. cujus ad ſidera, ut ſperamus, ſublati loco, Sereniſſ. Fil. Philippus VVilhelmus Danubio noſtro præeſt: cúmque Sereniſſ. conjuge Amelia, propediem Dûſſeldorpio redux, in Patria exſpectatur. Accipe & hoc de Rubenio memorandum, quod pauci ſciunt: ego à Belga accepi. Fama eſt, Rubenium, exultantem adhuc in gloriam Iuvenem, quum diſcendi gratiâ Romæ verſaretur; *aſpectu Extremi Iudicij*, à Michële Angelo Bugonoto, ſui temporis Principe, in Vaticano adumbrati, excitatum, jam tum propoſuiſſe: ſimul atque Antuerpiam remeâſſet, uſu ad juſtam ſui fiduciam erectum, ſimilia auſurum. nimirum decantata fama, & non inanis ſplendor

dor Italiæ, quem mirabatur, etiam Germanum pectus incenderat, capax conſimilis gloriæ: opinor, quemadmodum Alcibiadis trophæa Themiſtoclem; Achillis nomen Alexandrum M. hujus ex Oriente ſpolia Iulium Cæſarem exſtimulârunt ad ardua. ut ut ſit: Rubenij conatus non abluſit à voto. ſucceſſum habuere deſideria. artem in ſummo poſuit, vel Michaëli Angelo invidendam. Quotquot enim prædictam Iconem, latiſsimo volumine diffuſam contemplantur, (ſint licèt Protogenes, Zeuxis & Nealces) curioſum elegantis penicilli artificium ſuſpiciunt, atque commendant. Quòd ego in minorem formam tantum opus redigi curaverim, impulit Religio, & qualiſcunque metus *futuri*: denique ſapientis oraculum, *ſemper memorare Noviſſima* jubentis. inter quæ *Iudicium Extremum* cui non in altum canos ſubrigat? certè nihil utilius ad Ti- 49
morem Domini fovendum ſervandúmque conſiderare poſſumus. Vtinam tam grande ac formidoloſum Myſterium, tapetibus Principum, mantilibus Procerum, peplis virginum, mappis civium, crumenis mercatorum (plus audeo) & lodicibus Ruſticorum intextum eſſet, ſanè idcirco Majores noſtri, in omnibus Templis, præſertim Parochorum, voluere magnificè expreſſum: ut populus, quia rudis & ad omnem licentiam vitæ effuſus, quotidie contu-

ens;

ens; hujus ultimi, quàm lugubris, tam periculoſi ſpectaculi quaſi freno, intra honeſtatis
50. limites coërceretur. Vtque ſemel edicam, quod ſentio, divino quodam, ſed ſecreto impetu inſtinctus mihi Argolus videtur, hanc eclipſin, eſto, naturalem, ut flagitioſos terreret, flagitia averteret, portentoſam enuntiâſſe, ſeculum hoc multis infame ſceleribus, quod ſcimus & fatemur, poſt *aurum regnorum, argentúmque & æs* conſumptum, propemodum infra *ſcobem ferri*, jam ad *lutum* deſcendiſſe videmus. Tamen & Poëta tuus hoc ipſum non diſsimulavit exaggerare Lib. 2. n. 61. & in lib. Epod. integrâ Ode ataxiam noſtri ſeculi deſcribit; Mundíque ad occaſum vergentis ſigna enumerat. Exinde autem, poſtquam emanavit in vulgus excidij inſtantis diſcrimen; cœpítque horror audientium corda diſtringere; quanti ſubitò motus exarſere in animis mortalium! quæ mutatio morum facta in ſummis & immis, proceribus ac plebe! plus Argolus evicit de cœlo concionatus, longéque efficaciùs, quàm ſi omnes Oratores de pulpito, ex cathedris roſtríſque deſpumâſſent. in pleriſque urbibus, oppidis atque pagis, Tribunalia ſacra Pœnitentibus plena, lacrymis atque ſuſpirijs veniam noxarum precabantur. & tum quidem vetitis voluptatibus, cum Mundi fine, quem ruiturum rebantur, finem fecere. acerrimè caſtigata libido eſt, ereptæ opes redicre ad Dominos

nos. fœnebre malum exaruit. Modeſtia, pudor, & Aſtræa in Terras revenire viſa. hæc terrore imminentis in foribus Extremi Iudicij utiliſsimè confecta eſſe, omnes meminere. *Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit*. inquiebat S. Auguſtinus. DID. Deum immorta- 51.
lem! quid audio? huc deventum eſt? ergo arceſsitur Pietas ex Mathematicorum Schola! Pietas Aſtrolabijs debetur? Pietatem ex Sphæra producimus! novum prodigium ſupra & infra omnes eclipſes memorabile, ne ſuccenſeas, optime Pernumia, ex adverſo irrumpenti in conſiderationes tuas. De Togatis Aſtrologis, qui in ſacris familijs degunt, dubitare nefas eſt. ſin profanos reſpicias, aciem oculorum atque ingenij, ex curioſa voluptate ſideribus obijcientes, valde raros invenias, qui exterius cœlum aſpiciendo, meliores fiant, & digni Cœlo. Calumnia, ais. percipe me totum: ipſe abſolves. conſtanter multi dicunt: Nullos minùs Aſtrorum Conditorem colere, quàm qui eorum vias facéſque deſcribunt, obſervant ſiderum curſus, non & mandata ejus, qui fecit ſidera. atqui vel ex Thomæ Kempenſis oraculo, *Melior eſt humilis ruſticus, quàm ſuperbus Philoſophus, qui, ſe neglecto, cœli curſum conſiderat.* audi D. Auguſt. in P. 3. Quæſt. mixtarum: *unde non literatis ſeculi regnum Deus promiſit, ſed fidelibus: neque ſcrutatori-*

vibus ſiderum, æternitatem pollicetur, ſed rectè agentibus. ſubinde acidè exprobramus æedituis Templorum, nullos cœlitibus propiores eſſe, nullos remotiores. frequentes altaribus adornandis, ipſum Numen infrequentiùs adorant. præ nimia familiaritate, familiares eſſe deſinunt, vix genu curuant, *ante quem curvatur orbis.* Quotidiana admiſsio venerationem imminuit. Aſtrologorum plurium oculus & mens in pavimento cœli hæret: interius atrium ſedéſque Beatorum penetrare neceſſarijs virtutibus tædet. contenti nobiliſsimo propylæo illuſtris Regiæ ſummi Dei, errantibus fixíſque ſtellis intenti, *per anguſtam portam* in ipſam Regis aulam, Cœlum Empyreum intrare nequidquam contendunt. igitur præcepta bene vivendi cenſeo potiùs petenda eſſe à fabris, cerdonibus & laniſtis, quàm ab hetetodoxis aut perverſis Aſtrologis. quod probè intelligens *S.* Auguſt. l. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 11. *nihil,* inquit, *tam contra Chriſtianos, quàm ſi arti Matheſeos* (Aſtrologicæ) *adhibeant curam: hæc enim inimica dignoſcitur Dei.* non ergo ſolus Picus Mirandula oblatrat fallacibus, & nomine magis, quàm re Chriſtianis. Dic: an non præſtantes Mathematici quàm à vera Fide Catholica alieni, tam à recto virtutum tramite plures devij ſunt? Quid ſperare habent poſt fata ex his, quæ modò

dò ſollicitis obtutibus ac tubis indefeſsi metiuntur? D. Fulgentius lumine ingenij & ſanctimoniæ fulgens Epiſcopus, aſtra noctu, ſudo cœlo contemplatus, tam ordinato agmine incedentia, protendens manus in altum exclamare ſolebat: *Hæc impii non poſſidebunt.* videre poſſunt: apprehendere contemnunt. Quotus Aſtrologorum dicere audeat cùm ſancto Ignatio S. I. Fund. *Heu! quàm ſordet Terra, cùm Cœlum aſpicio.* Martem, Venerem, Mercurium ex Planetis, cupiditatum ſuarum fautores ſequuntur in terris. Quocirca rurſus pronuncio: De Re Chriſtiana, ſiquidem fulcienda ſit inſtrumentis Mathematicorum, actum videri. atqui experientia probavit, dices, Eclipſin tubâ Argolicâ promulgatam, multis ad ſalutem profuiſſe. enimverò hoc egregiè aſſeritur. Quis autem neſcit, Deum erroribus hominum, addo & peccatis, ad aſtruendam gloriam ſuam, magnificè uti ſcire, ac poſſe? peccandi facultas in bilance liberi arbitrij pendet. patrati ſceleris uſus, penès Deum juſtum & miſericordem ſtat.
Felix, inquis, *neceſſitas, quæ ad meliora compellit.* placet oraculum S. Auguſtini, hoc eſt Solis in Africa exorti, nullam eclipſin timentis: iſtud autem eiuſdem non minùs. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona,* ergo putas Argolo, Hiebnero aliiſque mentiri licuiſſe, ut cæteri metu perculſi, mendacia ſua Sacerdoti § 2.

con-

confiterentur, & expiarent ? At Poëta quoque inſolitas metamorphoſes animorum Lib. 2. n. 34. recenſere ſuſtinuit, fructum ex qualicunque terrore provenientem æſtimans. Sic eſt. idem tamen num. ſeq. admirabundus & ſtupens, neſcio quid cum eodem S. Doctore exclamat. vide locum. Sed hæc hactenus de extremo Iudicio, ex occaſione picturæ mihi objectæ. Tu quid cenſes de Claſsico Auctoris adverſus Turcam, à te interim perlecto? Alph. Poëma galeatum & cataphractum, arma ſpirat. ſed facile eſt, exhortari ſcripto canoro milites: difficile, cùm ad teli jactum venitur, in hoſtem proritare conſpirantibus tubis. invictis ſtimulos, meticuloſis animos addere, hic labor. Mentem adhuc plenam Argolicis præſagitionibus gero: ſeu timorem auguria ingerant, ſive vnde unde illabens ſpiritus percellat: præteritæ eclipſios arcana vis, nondum omnis videtur evanuiſſe. adhuc operatur. Did. Nugæ! ſecundùm poſitiones Ptolomæi tui altiùs aſſertas, jam exſpiravit omnino. ego quidem nihil timeo, niſi moram Chriſtianorum: Deus bene vortat. Alph. Idem & ego precor: bonas aves, ſecunda omina, fauſta ſidera, dex-
F 3. trum Martem, læva tonitrua, unum eſt, quod miror in Poëta tuo. Did. Quid illud? Alph. Cur tam ſerò Eclipſin præteritam, in memoriam hominum revocavit ? Did. Ha-

bue-

buerit utique cauſſas ſuas. (præterquam quòd hinc & inde petitionibus novorum Poëmatum infeſtetur.) fortaſſe, ne Argolus aliíque objicere poſſent præcocem cenſuram, dicturi: *Quid exagitas nos? quid exprobras temeritatem malè præſagientium. nondum omne tempus effluxit. quomodo æra campana, etiam ceſſante pulſu, non ſtatim deſinunt reſonare; ſed per aliquantulam morã tinnitum continuant: donec languidior echo ſenſim penitùs evaneſcat: ita ecliptica quoque momenta, poſtquam inducta caligo diſparuit, productioribus, ſed arcanis modis tacitè ſublabuntur ad deſtinata ſibi tempora, & vim impreſſam explicant: præſtolare annum ſexageſimum primum. tum videlicet experieris, quàm indignè prædamnaveris inſontes Aſtrologos.* Cur non & ſeptuageſimum ſecundum? nam illum aliqui non tantùm prorſùs *criticum*, ſed & *decretorium* ſtatuebant, omnia conſummaturum. at enim ſeptem annorum ſpacium in experimentum exiſtimabat auctor ſufficere. longior compendinatio non placuit. quòd in ſenium vergens timidiùs ſperet illa tempora ſe viſurum. fallacia eſt, cauſſas morandi prolixiores innectere. ſiquid ampliùs habes contra ipſum Poëma; ne celes, oro. novi virum. errores oſtendentibus annuit. audet, ſi delenda videntur, cicatricem per integram paginam ducere. momos non curat, ſecurus invidiæ. provocat ad

Oden 14. Libr. 7. Silvarum, Andreæ Germanico Tyrolenſi inſcriptam, cujus tenor hic eſt.

Omnibus ſemper placuiſſe, res eſt
Plena fortunæ: placuiſſe paucis,
Plena virtutis: placuiſſe nulli, plena doloris.
Si quid extremi tamen eligendi
Optio detur, medio relicto:
Præferam nulli placuiſſe, quàm, Germanice, cunctis.

54. Alph. Quando ita ſe res habet: & pectus ære fuſum, Stoicã firmitudinem promittit: ſumam mihi animos; quæque annotavi, dum Poëma perlegerem, non verebor dare. Did. Gratum feceris. ſententiam tuam cum auctore non invito communicabo, agnoſcet beneficium. & præclarè merituro cenſori grates aget. ut tamen & abſentis ratio habeatur; Patroni vices ſuſtinebo: & ſiqua opus erit, æquam cauſſam contra Iudicium iniquum, vel non omnino certum defendam. Alph. Per me licet. Quæ enim proponam, rigidiùs non tuebor. Scio utique, Criticos, corrupto ſapientiæ guſtu, ſæpe decipi: & faciliùs eſſe, Ariſtarchum, quàm Maronem agere. Did. Hæc criſis ſanctiſsima eſt, nunc incipe. Alph. Poëmatis Pars prima, ſi ritè memini, propemodum tota in Mathematicis vexandis conſumitur.

tur. Did. Minimè verò. Non vexat : ſed multa figmenta Poëtarum *primæ magnitudinis*, utiliora, figmentis Aſtrologicis *ſecundæ magnitudinis*, eſſe contendit ; & minùs quandoque à ſimilitudine veri abhorrere, demonſtrat. Alph. Part. 2. num. 11. multa refert, quaſi Egræ contigiſſent, in finibus Bohemiæ. num vidit urbem magno olim ſanguine cruentatam ? Did. Vidit, intravit, inquiſivit. nihil ambigas, vera narrat. Alph. De fontibus obſtruendis ridicula quædam commemorat, ex vero, an vano hauſta ? Did. Tu ſolus peregrinus es in Germania, ut neſcias, anno 54. ubique regnâſſe Dominam Moriam ? multis delirijs laborâſſe mortales, etiam canos, etiam latum clavum, etiam purpuram gerentes ? non neceſſum fuit Auctori, caput ſcabere, ut fabulæ exciderent. Veras, quanquam incredibiles hiſtorias, adeóque fabulis ſimillimas, fecunda monſtrorum eclipſis in medium protulit: memorare omnes faſtidioſum fuiſſet. multò plura dementiæ exempla poſt conditum hoc qualecunque carmen intellexit; ſed reliquit intacta. Poſteritati ſatis fiet recenſitis. at tu, cùm ſcires hæc, ludificantium more ſuſpenſurus animum meum, coacta diſsimulatione, tanquam de ignotis rebus dubitâſti. Alph. Quis autem ille *Malè contentus*? P. 2. n. 26. Did. Et hoc demiror te ſcitari. Perplexi, obtuſi, malè contenti dantur omni tempore paſsim. tunc plurimi

extiterant. fictum nomen pro vero poſitum ſcias; unum pro omnibus. quiſquis autem ſub illo ſchemate latet, auctoris pincerna fuit. ALPH. Præterea diſsimulare non poſſum: Forum Ambergenſe eclipticis feminarum clamoribus oppletum, humili modo deſcripſiſſe per *ſimiliter cadentia*, quod vilitatem quandam vel proterviam ſapit. DID. Vana opinio. propoſitum Auctori fuit, feſtivum aliquid in lucem dare, quod caliginoſum mœrorem metúmque, ſi quis adhuc ex veteri procellà palpitat, penitùs abſtergeret: ut quantum terroris *hyperbolica Eclipſis* intulit orbi; tantum leporis atque lætitiæ referret depulſa. Itaque dum Forum femineum celebrat, ubi vaticinia & ecliptici timores ſpargebantur; non abſurdùm putavit convenientibus modis ciere tinnitus, & Cybelëia æra quaſſare. Scimus vel tres mulieres ad fontem garrulas poſſe forum facere. quàm clámoſum reddent viginti, quinquaginta à variis rumoribus pavefactæ! ſtridulum examen apum non ita feruet.

tot pelues, tot tintinabula credas
Pulſari, quantum Luna ſuffecerit atra.

Ejuſmodi nundinas viſas oculis, uſurpatas auribus quoquo modo deſcripturus, per ſimiliter cadentia & ſonora, pol! ineptiam adhibuit pollentiſsimam. dum velut in vocali Famæ domo, ubi omnia reſonant, imagines vocum toties reſultantes, muliebri volubilitate atque molli-

litie multiplicat. Libuit Virgilio quadrare verba, & accommodare metra rebus, quas expreſsiùs ſignificare voluit, videlicet celeritatem, tempeſtatem, moram, majeſtatem: licuit Ovidio paſsim in eundem finem venuſtè nugari: ut cùm ranarum clamantium convitia & rixam, aquatico verſu æmulatur:

Quamvis ſint ſub aqua, ſub aqua maledi-cere tentant.

Quænam hæc invidia eſt, prohibere auſurum, quantum fieri poteſt, ſimilia. ALPH. Sed & alicubi Latinis verbis (qualia ſunt *graſſari, conſternatum*) amphibologicè poſitis, alludit ad Teutonicum idioma. quæ omnino mihi videtur eſſe quæſita libido nugandi. DID. Nulla, neque enim anxiè conſuevit, ex remotis inſulis, accerſere hujus genij ſimplices facetias. ſpontè affluentibus nonnunquam diverticulum præbet, non ſtabilem domum. Cùm omnia tremerent tempore patientis Chriſti, *Cælum* medio die *conſternatum* ferre non potes: quod tamen verbum duplici ſenſu cumulatum, caſus ſtellis in Germania ſub meridiem lucentibus invexit: quî igitur feres Angelinum Gazæum, cum ſua cicada *cicadicè* loquentem? denique auctorem vivum adhuc in confinio habes. ipſum convenias & interroges, licet: liberabit fortaſſe animum religione. equidem ſemel audivi ſic differentem. Mi Didace: aliqui ſe Poëticæ facultatis gnaros jactant hoc ſolo nomine,

quòd viles tricas canentibus inijcere & ſufflaminare norint curricula bonarum mentium. addidit hoc quoque: Iuſta Poëmata eo ſpiritu legenda eſſe, quo ſcripta ſunt. quod quidem pronuntiatum ex ore celeberrimi Aſcetæ, de lectione divinorum Carminum, Regij Prophetæ, rectiùs intelligas: nihil tamen obſtat, inquit, quò minùs per honeſtam mimeſin transferre liceat ad noſtros quoque vates. requirit ergo lectoris cujuſcunque ſpiritum, non hebetem, non ſtupidum, non ſaltem brutum; aut ex amurca invidiæ, ſive malevolentiæ veneno nigrum. in læta carmina lætus intret, in triſtia mœrens; in mollia tener; in Martia fortis. alioqui continget, quod utenti ſpecularibus vitris. ſi admoveat imbecillibus oculis nigra; omnia atra videbit: ſi viridia; glaucis coloribus reficietur: ſi rubra; cuncta oſtrum & ſanguis erunt. Si denique ſimplicia, pura, candida; res, prout ſub viſum cadunt, non ſine benefica claritate ad ſatietatem uſque intuebitur. Nam favore Muſarum deſtitutus; adhæc nulla animi capacis promptitudine, ſive aliquâ appetentiâ ſtimulatus; ſi fortè in exaggerati caloris Poëtam, divina patientem ſpirantémque incidat; tantum legendo profecerit, quantum profanus amator evoluendo *ſacrum Salomonis Epithalamium.* citra imminutionem reverentiæ cœleſtibus oraculis debitæ, perfectum Poëma, præter currentem literam

plu-

plures ſenſus æquè continere poteſt ac debet; puta Myſticum, allegoricum, ethicum, Politicum, Metaphoricum: & ſubinde Ironicum. immò, niſi contineat; inane potiùs crepitaculum, quàm vera Heliconis Lyra pulſata cenſebitur. cadent verſus ſine neruo, phaleræ ſonabant ſine pondere: laurus ſine baccis, & cortex ſine nucleo trudetur. flores phraſéſque, quantumvis accumulentur, ſine ſucco & ſpiritu marcebunt. quo ſtatu rerum, cur ſacra dicatur Poëſis? cur ex æthere deducta? fruſtra, per Phœbum, noſtri vates, divini habeantur: fruſtra enthei: fruſtra numine afflati. arguas tales nec peritè canere, nec ſapienter furere: ſed ritu plebeiæ multitudinis, cum alijs cerdonibus, trivialè loqui. altior vis & fæta myſterijs facundia, populi ſubſellijs eximet verum Poëtam. Alph. Ita te, Tuúmque, Superi ament: quorum auxilio tam ſtrenuum nactus eſt defenſorem. Videmini fratres eſſe: tam ſollicitè cauſſam ejus egiſti. Did. Si neſcis, eſt meus alter ego. diu conviximus. ego Gallus, ille Alſata. Alph. ergo non ſemper fratrum gratia rara eſt. noſtro quoque ævo Pylades & Oreſtes per intervalla reviſunt orbem. unum, quando omnia ejuſdem arcana, te penès latere nullus dubito, unum deſidero ſcire, & alij mecum. Quouſque ſuam Vraniam differet emittere in lucem? an fortè ſpes ludificat, & noſtram exſpectationem fruſtratur? atqui catalogo librorum vendibili-

um, Francofurti ad Mœnum, jam inſertam intelligat. Did. Audivit hoc ipſum, non ſine indignatione, miratus ingratijs ſuis, novo invento beneficium extorquendæ promiſsionis urgeri: ut cunctari vix jam liceat. ſed mitte curas. non fruſtrabitur vota. verbis ſtabit. per quem tamen impetum omnia ſimul conficiet? num & *Poëtæ* centimani dantur, quomodo Gigantes? repete & computa libellos, quos jam edidit: ſaltem numero, ſi non pondere, vincet cæteros. quamvis ad Homeri & Ovidij acervum nondum pervenerit. adeò difficile eſt, vel molem æquare; nedum ejuſdem ordinis dignitatem, adde: hinc & inde vellicari hominem: his iſta, iſtis alia, ſæpe contraria petentibus. quò ambitu nonnunquam pictores premuntur, quos copia deſtinatarum imaginum, ſed ſupremæ manûs adhuc egentium, non tam inopes, quàm anxios & moroſos facit. ex quo tempore prima Vraniæ lineamenta duxit curioſa elegorum periclitatio: ſtimulatus, irruit ſubinde in amatores tabaci, quomodo Samſon in Philiſthæos: quem impetum ipſe laudâſti: poſtea monitus defendit macros; rogatus ornavit toruos; miſerans delinivit Podagricos. omnia intercalari operâ: ſed non quaſi per ſomnium otioſâ, aut per ferias perfunctoriâ. Hanc ipſam Eclipſiographiam, multis hortantibus ſuſceptam, putas ex manica, quod ajunt, torrentis ritu fluxiſſe? ita quidem ignari rerum

Io-

loquuntur. ignari, dico, quia neſciunt, quid loquantur. tu tamen omnino poſt tenebras ſpera lucem, poſt eclipſin Vraniam. Alph. Optimè. placet promiſſum, ſed maturandum. defloratur enim gratia, exſpectationis longiore circuitu. Did. Adnitar & ego perſuadere feſtinationem. quia *ars longa, vita brevis*: Spes fallax, filum à quo pendemus, fragile. quanquam ſcio, ſtatim ex contumaci ingenio repoſiturum: Hem! ut me cum Pegaſo violentiùs incitato præcipitare in foveam volunt: multos annos ætati devexæ ſuperaddendos ſperare non poſſum. ſed neque, ut præcipitem, valetudini toties labefactatæ confidere audeo. Tu, Didace, firmiſsimè animo retine hanc celebrem paronomaſiam Rhetorum. *Non vivo, ut edam*, inquiebat aliquis, *ſed edo, ut viuam*. & *ego*, Domine Cyriſate, *non vivo, ut edam libros, ſed edo libros, ut vivam*. quin ſpes eſt, non priùs clauſis oculis viſurum me ultimam noctem, quàm Vrania apertis aſpectura ſit primum diem. Video te aſſurgentem, Pernumia, bene eſt. ago immortales gratias: quod & benevolè me audiveris, & tuis inſuper diſciplinis magnificè inſtruxeris. Alph. eſt, quod tibi me potiùs obnoxium præbeam: cujus vota ſuaviſsimis ſermonibus abunde ſatiâſti, unũ adhuc rogo, iterum atque iterum: mone Poëtam tuum, ut properet. neſcio enim, quid animus præſentiens addicat ſibi. Did. Ac ſi man-

dâſſes, exequar. De Sole incepimus colloquí: in Sole finiamus. Diſsimulare nequeo ejuſdem lepidam inventionem, quâ, cùm aliquando ad properandum urgeretur, Ovidianos verſus de indignatione Solis Phaëthonem filium occiſum lugentis, propoſito ſuo accommodaverat. Sol, ut ſcis ex fabulis 2. Metamorphoſ. natum, quòd Orbem temeritate ſua incendiſſet, è curru paterno repentè fulminatum, graviter doluiſſe fertur; uſque adeò, ut ſupra omnes eclipſes ſquallidus, in luctu perſeverare velle videretur; officium lucendi deinceps ingrato Mundo & Iovi Tyranno negaturus. Cauſſas Naſo deſcribit hunc in modum, ſolem malè contentum introducens.

Satis, inquit, *ab ævi*
Sors mea principijs fuit irrequieta, pigétque
Actorum ſine fine mihi, ſine honore, laborum.
Quilibet alter agat portantes lumina currus
Si nemo eſt, omnéſque Dei non poſſe fatentur,
Ipſe agat, ut ſaltem dum noſtras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.

Hos verſiculos ille noſter, in impetu ſpiritûs, ſic aptavit ſibi.

Satis, inquit, *ab annis*
Sors mea ter denis fuit irrequieta, pigétque
Actorum ſine ſine mihi, ſine honore, laborum.
Quilibet alter agat quaſſantem Pegaſon alas.
Si nemo eſt, omnéſque rudes non poſſe fatentur.
Ipſe agat Orbilius præceps, vel quilibet alter
Zoilus: ut ſaltem, dum noſtras tentat habenas;
Deſinat eſſe ferox ſapiátque: & nomine Vates
Orbatura ſacros aliquando murmura ponat.

ALPH.

Alph. Accipiam, Didace, hoc ſchediaſma mecum. & mihi proderit. in eadem penè negotiorum & ingratitudinis charybdi navigo. jam viginti annos inſudo laboribus Aulæ, ex officij dignitate arduis moleſtíſque, ſed ad fructum ſterilibus, me moles & vigiliæ & curæ gravant: alij emolumenta decerpunt. liceat ergo & mihi hanc ſolis defatigati querelam uſurpare. interea bene vale, precor Solis Conditorem, ut eclipſin oculorum tuorum ſerò videas. Did. Et tu optime Pernumia, vale proſperrimè. ſaluta ex me, ſi placet, Albertum Pollionem Surrentinum, virum humaniſsimum, in Mathematicis diſciplinis præcipuum, & Petrum Stabirium, continuos tuos: iiſque me & Poëtam noſtrum, ſicut ſoles, impensè commenda.

Finis Libri I.
De
Eclipſi Anni 1654.

DE ECLIPSI SOLARI

Anni

M. DC. LIV.

LIBER II.

Exhibens ipſum Poëma.

Auctore

IACOBO BALDE
è Societate IESV.

ECLIPSIS SOLARIS

Anno

M. DC. LIV.

Die XII. Auguſti.

à

Pluribus in Europa tubo
optico ſpectata: nunc ab uno
iterum

TVBO SATYRICO
perluſtrata.

IN GRATIAM
Nobiliſsimi Viri
M. CASTORII
POLLVCINI
EX VETUSTA FAMILIA
Tamariſcorum.

Continet hoc Poëma
Epico-Dramaticum.
PARTES V.

Pars I. Exhibet præludia.
Pars II. Antecedentia Eclipſin.
Pars III. Propiùs accedentia ad Eclipſin.
Pars IV. Diem criticum: ſive ipſam Eclipſin.
Pars V. Corollaria ecliptica.

Periochas hujus Comœdiæ, vide ad calcem poſitas.

ARGVMENTVM ET CHARACTER SIVE GENIVS Poëmatis.

NOlim ex titulo *Tubi Satyrici* opus aculeatum conſummatæ Satyræ, animo præcipias, Amice Lector. Nam, ut alibi monuimus, nomen armatæ ſcriptionis uſurpantes, non idcirco ſtatim duplicatis calcaribus fodicamus ilia, aut cruentandos mucrones ſtringimus. Simulacra belli duntaxat cientur in arena: in qua & conſilium cepimus obſequendi votis illorum, qui hunc laborem à nobis petiverunt. In eloquentiæ Palæſtra, acie ſtyli ludibunda, ictus minamur innoxios. Ne neſcias, *Tubus Opticus* propoſito noſtro non ſuffecerat; qui, licèt procùl remota, oculis propiùs admoveat, ſtimulo magnitudinis in arctum coactæ; non tamen valet, niſi in præſentia, quæ ſub liberum aſpectum cadunt. Itaque Optico Tubo po-

poteram uti Anno 1654. quo famoſiſsima Eclipſis apparebat. Eandem denuo viſuro longo pòſt tempore, Anno videlicet 61. quo jam dudum evanuerat; *Tubus Satyricus* ex officina Heliconis vitriaria promi ſubſtituíque debuit. Qualem ex feruida & candente arena Fontis Caballini, ſimul arcano numine commotus eructat, calor Poëticus beneficio inflatæ fiſtulæ efformare novit: præſtantiorem fortaſsis omnibus *microſcopijs*: quamvis haud paullò minoris emendum. Iſto enim vero Tubo, etiam præterita ſpectacula, quantovis ſpacio lapsúque temporum diſtantia, ſpeculari fas eſt. nam quævis ſimulacra, quaſi vitrei canalis anguſtijs comprehenſa, ad certum mentis intuitum liquidiſsimè reducit. Quod opifex Ophthalmicus omni arte ſua nunquam effecerit.

Ad genium Carminis quod attinet, neceſſariò varius, & multiplex eſt, pro varietate multiplicis materiæ: in quam, ſicut abijcitur, ſubſtratam quaſi forma fertur, & incubat; toti corpori vitam, ſingulíſque membris, convenientem ac debitum vigorem inſpirans. Perlege præmiſſum Dialogum Alphonſi Perſij Pernumiæ, & Di-

& Didaci Cyriſati, de influxu ſiderum in hæc inferiora: déque habitudine & cauſis Eclipſium, præſertim *noſtræ Argolicæ*, tum deinde totius Poëmatis Periochas inſpice ad calcem ſubjectas: fateberis Europam, ex quo per mare rapta fuit, lepidiorem mimum non ſpectâſſe. Formidoloſam, ſi Superis placet, Eclipſin (& tamen non pleniſsimam, quippe undecim tantummodo digitorum in Germania) *Andreæ Argoli* Profeſſoris Mathematum Patavini, intempeſtiva Prognoſtica, adhuc horridiorem fecerant. Quæ hominum conditio & credulitas eſt, varijs motibus exarſere, capaciſsimi ſuperſtitioſarum imaginum, inter ſpem & metum, & vigilantium ſomnia, integræ Provinciæ, ad neſcio quam promiſcuorum eventuum exſpectationem arrigebantur. Et quidem aliquæ triſtes horrore ſcelerum, ſed & pœnitentes. ſic eſt. orbis occaſum garruli prædixerunt, incauti timuerunt, ſapientes irriſerunt. Hinc cæca ludificatio & miſtus pavor: multorum præcoces conjecturæ, ingens opinionum farrago: unde manârunt ſollicitudines, metus, deſperata quorundam conſilia, aliquorum, quod

mi-

mireris etiam, ſalutaria. Quæ omnia Poëtæ quodammodo vim intulerunt, ut rapi ſe ſineret in flexuoſa diverticula, & vel in triſtibus amænos receſſus. Nam quæ canenti ſe non ingerunt? hiſtoriæ, fabulæ, rumores, paralogiſmi, Comica, Tragica, vera, falſa, mixta. Proinde referuntur terrores populi, conſternationes urbium, pagorum, civium, ruſticorum, interpolata ſuſpiria; referuntur ſuſpenſarum mentium inſana gaudia, amores, cædes. nam quid non licuit utrique fortunæ, in confuſo orbis Theatro: quod ſummus Planetarum Rex, SOL, funere ſuo nobilitaturus credebatur. Hæc & ſimilia non uno ordine digeri; neque ſtylo eundem tenorem ſervante conſignari potuerunt: jam premi, jam erigi debuit. Thema laciniosum, & variè irritans, ut exactiùs pingeretur, diverſos etiam penicillos, alias, aliáſque conchas requirebat. Penè, ut chamæleon, colores induere coactus ſum, quos argumentum obtulit; & locus, cui inſedi. Quocirca triſtia & læta, ridenda, & flenda, digna ſarcaſmis & laudibus, uno complexu fovemus. Thema prorſus Dramaticum eſt. in quo licuit

ſæ-

ſæpius genio Horatij circùm præcordia ludentis, quàm Iuvenalis præcordia, verborum fulmine, frangentis, laſcivire & furere.

Sed & hunc ſcribendi modum perſuaſit ipſe SOL, totius Enthuſiaſmi Argumentum. unus idémque, quàm diverſa producit! contemplare ejus radios; quanquam ex eodem lucis homogeneæ fonte promanant, non æqualiter in aſtra diſpenſantur: ſed ad capacitatem vaſorum diffundit ſe *Vas admirabile*, *Opus Excelſi*. Si uſquam, hîc veriſsimum eſſe dicas illud Philoſophorum ſcitum: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*. Radij recepti in Saturno algent; in Marte ardent; in Iove favent; in Venere fovent: in Luna, & Mercurio, neſcio quos ſaltus, antè retróque exercent. Miſce aliter Planetarum choros: pro diverſo acceſſu ad Principem ſuum, receſsúque, Saturnus mœret; Venus blanditur, Mars furit; Iupiter tonat: Mercurius inconſtans fallit; Luna inconſtantior ridet; aut ſquallet. Idem SOL ſtellas pingit auro, Lunam argento, Saturnum plumbo. Ab eodem SOLE Mars ferri colorem trahit igniti, Venus

æris

æris excocti, Iupiter ſtanni, Hermes electri. Qui radij SOLIS ſubjecta torrent, communicati cum Sorore humectant, cum falcigero ſene congelant. Idem SOL, quàm diverſis atque illuſtribus chymæris, nubes jam criſpas, jam prægnantes, jam teneras inſtar velleris, inſignit! in Aurora roſeus & roſcidus; in Iride multicolor & floridus; oriens albeſcit, flaveſcit occumbens. vapores attenuat, grandinem addenſat, pluvias fundit, fulmina exacuit: lutum indurat, ceram emollit, glaciem reſolvit, cryſtallum aſtringit Vides igitur, quomodo Pater luminum naturis rerum ſe attemperet! Ad Phœbum, puto, æquè Poëtæ, ac Sidera pertinent; cur ergo fulgorem Regium non æquè conetur æmulari fax afflatæ mentis? quando calor ætherius prævio ductu Poëticum laceſsit, atque ad imitandum invitat. Auſi ſumus Cœleſtibus irritamentis conſentire. Hinc eſt, quòd præſentis ſcriptionis univerſum corpus percurrit ſuperfuſi ſpiritûs anomala vis; & æqualiter quidem fluens, inæquali tamen meatu ſe venis inſinuet; more Solis, ut dixi, jubar ſuum diſpenſantis in vaſa Planetarum. *Satyra Medicinæ*

glo-

gloriam aſſerentes: ſubſecuta deinde, *abuſum Tabaci deſtruens*; *Torvitas item*, & *Antagathyrſus* metricè procedunt, pari paſſu, conſtanti furore. Hoc Poëma ſcias heteroclitum eſſe; &, quia de Eclipſi, ſuas etiam defraudationes, obiectus, hiatúſque per intervalla pati; adeóque populare & altum, dulce & amarum, lætum ac triſte, ſerenum ac nubilum, planum & hiulcum, molle & durum, lene & aſperum, nunc in montes attollitur; mox in valles ſubſidit, graditur terrâ, fluctuat ponto, pervolat auras, penetrat æthera. Quid exſpectas? quod modò humiliùs incedere videtur; repentè concutit alas, & ſublimi volatu ſtringit nubes. rapitur ſupra concavum Lunæ, laborantium aſtrorum bellis intereſt. iterum delabitur in terras. hominum negotia reviſit; audit vulgi murmura, & Aſtrologorum vaticinantium judicia. Conſtat, plurima ridicula, decretorium & fatis damnatum diem, duodecimum Auguſti, anteceſsiſſe. ut ne recenſeam, quæ conſecuta vidimus. Phœnomena Cœli, etiam terrigenarum cerebrum, animúmque exagitârunt. Proinde tempori, & larvis, ſicut ſe monſtra dabant, accommodandum

dum fuit Poëma. Explico me. Auditis ſermonibus de Eclipſi, interloquor. in obvios Mathematicos malè feriatos incurro: peritorum ſcita veneror; conjectantium deliria explodo. Eſt, ubi præficam ago, veſpillonibus aſſociatus defleo funera, quædam in anteceſſum. Deprehendar ingreſſus Curiam: ubi proferuntur Senatusconſulta, occaſione metuendæ Eclipſis, ad valuas affixa. Subinde demulceo timidos, conſolor afflictos: caſtigo impios, rideo ineptos, averſor phanaticos. intrepidis ſaniſque congratulor. ex conſternatione ægris, aut labefactatis, medicamenta præſcribo. Hæccine, dicas, ad Satyricum! Quin & liberaliore ſpiritu raptus, quandoque extemporalis fio Panegyriſtes: in primis Auſtriacæ Domûs, & Helveticæ libertatis. Eclipſis admonuit, ut ne hanc laudis ſegetem, oblata occaſione, irreſectā præterirem. Iam verò & fæminei ſexûs virtutes commendo, quà decet; vituperro vitia, quà licet. ſed & poſt naturalem Eclipſin perluſtratam, extendor in prodigioſam, ſupra Naturæ vires, caligantem. Cunctis quoque mortalibus ſua peculiaris denunciatur. Tum verò & Myſticam conſide-

ſidero: quæ parem non habuit; parem nunquam habitura. Ad ultimum Tubas ciemus. concutiuntur orbis exurendi ſepulcra. Lunæ ac Solis extremi labores, ſignis haud longè diſtantibus cognoſcendis; veræ inquam, non tantùm imaginariæ Aſtrorum ægritudines, reſuſcitandis corporibus admoventur. Quo in rerum tam diſcordantium affluxu, conflictúque neceſſariò, ut ſuprà monui, ſurſum, deorſúmque ſtylus vertendus erat. Qui ſimilitudinibus capiuntur, percipient facti mei rationes, & decorum in tempore adhibitum. primò, exempli gratiâ, ex tapete oſtenſo, quem barbara Phrygum acus, diſcretis filis expinxerit. Non ubique lucet aurum, & formarum diſcurrentium gratia. dantur receſſus, miſcetur caligo: fila ſe infringi, abſcondíque patiuntur. apparent quoque humanæ facies, atque in his frons, oculi, genæ vivaciùs, quàm quæ, neglectu non indiligenti, obſcurari vel ipſa Natura monet: &, ſi belluoſius tapes eſt, quædam animalia ſaturo colore exprimuntur. alia diverſus angulus exhibet, obtuſo formata. quædam partes nullas divitias oſtentant, artem ſemper. *uſque adeò, quod tangis*

idem eſt, tamen ultima diſtant. diſtare videntur, ut viſum paſcant, & fallant. non aliter textilis pictura placet. ita & certa Poëmata. Deinde, nunquam vidiſti malum nitrato pulvere medicatum in undas proijci? ſub illis vivit, ad imma tendens; iterúmque receptis flatibus eluctatur ſtridentem gurgitem, atque tantiſper liberum aërem captat, donec cum ſibilo rurſus ſe præcipitet, fluminis interiora rimando. Audi Muſicam. Vox levata, certis legibus cadens, premitur. cantus *durus* in *mollem* beneficio gutturis tranſit. *liquidus* ſcindit *tenorem*, varióque tractu in aurem illapſus, tantò gratiorem miſcet temperiem. ſic ſymphonia conſurgit: ſic & modulatum Poëma, immò proverbium expletur: *Varietas delectat* Quod ſi propiùs ad Poëſin reſpicis; conſidera greſſus Pegaſi. ut de ejus volatu nil dicam: etiam ſolo conſiſtens, plerumque *altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.* Seſſoris inſuper arbitrio jam tolutim, mox ut aſturco: jam in gyros frangitur; quantumvis ferox, alio alióque modo accipit imperium. Laxatis habenis procurrit: adductis obſequiosè ſiſtitur, & ſpumat: inci-

cipítque tardiùs iterum glomerare volumina. Hæc imago Poëtæ periti exercere ingenium in patentis facundiæ campo. hic mos frenantis impetus animi, & canorum dicendi genus frena moderari dicas illum, qui ſtylorum callet uſum. Convenienter doctrinæ, quam in Diſſertatione, de ſtudio Poëtico nuperrimè edita tradidimus. ubi inter cætera & hæc leges; *huc conducet adhibendi ſtyli neceſſaria cognitio. quamvis enim omnium Poëtarum notitia præditus, abundes inſuper copiâ verborum exquiſitâ: ſi tamen ſtylorum vim, ordinem, genium, varietatem, mixturámque neſcias aptare materiæ, rerum naturis, tempori, perſonis, tibi ipſi, tuique & alterius animi affectibus; inconditum chaos excitabis, ſimilis citharœdo, qui ſe Orpheum profeſſus, ignorat temperare fides.*

Quod illos quoque vellem advertiſſe, qui Tragœdiam meam, Iepthiadem, legentes, ſed artificij parùm gnari, muſsitare auditi ſunt. Enimverò hic vates defecit à ſtylo ſuo, ab altiſsimo canendi genere. Sentit utique ætatis injuriam. Seneſcit. cygni, qui primò illius ore cantabant, videntur jam capitis comas obſidere Nam quantus olim in Lyricis! quoniam, in-

quiunt, odas projecit vehementes & excertas. Miris inventionibus, multo flore ſaginatam dictionem addidit, æquavítque perfuſam inſolita voluptate Poëtica. Enthuſiaſmi ſpirant ignem. curioſæ venuſtatis nequitiæ, omnibus propemodum paginis aſperſæ, & multiformibus tropis, ad pompam, magnificè exornatæ ſubſultant. quid, putas, fiet, ubi primum cothurnum induerit! nam *omne genus ſcripti gravitate, Tragœdia vincit*. prô Iupiter! qualia verborum & ſententiarum rotabit tonitrua! omnia fulmineis Iambis ardebunt. Nulli Euripides aut Senecæ, nulli Sophocles ad immanitatem quæſitam ſuffecerint. At enim in Tragœdia immolante Filiam nihil horum advertas: communis & facilis dictio, de plano pedeſtris, non aſſurgit, non fulgurat, non furit. exſpectatio noſtra deluſa eſt. Num omnium Tragœdiarum idem character eſt? de quo loquimur? ſcilicet Hercules furens, Oedipus inceſtus, Thyeſtes domeſticus carnifex exhibitus à me fuit! An Medeam produximus, Zelotypam, veneficam, in ultimo limine naturæ inſanientis conſtitutam, uteríque ſui pignora lacerantem. ſi ritè memini, juven-

venculam Principem Filiam victimam , quàm animoſam, tam teneram, ad aram deduximus, à mœſto , perplexóque Patre, victore,& victo, in Religionis & furoris,in pietatis & doloris exemplum, votivo ferro interfectam : & quia Vnigenitam ; caſtiſsimam Virgineæ Humanitatis Vnigeniti Filij DEI Chriſti IESV, in ara Crucis immolatæ figuram. ſicut ibidem, ex *Nicol.Serario* & *Iac.Saliano* pluribus proſecuti ſumus. Hanc igitur Virginem, in necem & buſtum deijcere debueram, cum tonitribus, cum tempeſtate Poëtica, qua totum artificium tam ſacri mœroris, copioſiùs ſcilicet, quàm in Agamemnonis,& Iphigeniæ reſpondentibus fatis conſummâſſet! improvidum me! qui non in tempore præcipitaverim ex alto grandinem catenatorum verſuum , ſuccuſſu terræ reſultantis , terribilem ſonitum editura. Tenera Virguncula triſtiſsimi Patris gladio collum ſubjecit. Ah, quæ facies rerum, qui gemitus! ineptum me! qui non tubas inflari, non æra & pelues, non tympana pulſari curaverim : qualia audita ſunt, *Parentibus liberos ſuos idolo Moloch ſacrificantibus*. nam

quos Iephte vultus in hoc agone, quos exornaverit Iephtias! non hoc agebatur in iſto celeberrimo luctu occiſæ Filiæ, planctúque ſodalium deflentis occiſam, non, inquam, hoc agebatur; Delicatius Thema eſt, quàm ut curet phaleras, *longiſque crepans ſingultibus aurum*, ex Statio. Veri ſingultus, non Metaphorici petebantur. Iam alibi plus ſatis oſtenderam, quò ſagitta, arcu Venuſino ſublimiùs acta penetrare poſſet, Sed enim niſi fallor, non omnia Poëmata, in juvenili Euripo ſpumantis eloquentiæ navigant. quædam in affectionibus conſumuntur, facili fluctu per Actus ſuos, tanquam per alveos. quomodo rivulus à principio tenuis, paulatim creſcit ſine ſtrepitu augmenti: denique aliquot fluvijs in ſocietatem coactis haud ſecus, quàm montanus torrens patentibus oſtijs in Oceanum provoluitur. Atque hic modus Patheticæ Tragœdiæ eſt: niſi objectarum Phraſium repagula diſtinctum curſum remorentur. certè vix ulli affectiones animi, ſive perturbationes mentis, ut Tullius amat dicere, in humano corde æſtuant; quin hoc impetu in mare noſtrum Tragicum ferantur.

Mi-

Mirum! ni & Genethliacon, ſuperiore Anno à Muſis Neoburgenſibus editum, judicetur dignitate ſublimis ſtatûs, quem Heroica in Parnaſſo obtinent, excidiſſe. Nihil enim facit ad Papinium, quem olim imitati ſumus. Atqui non bimatris Bacchi Cunabula, Thebani videlicet Thebano verſu celebravimus; ſed Palatini Principis. quem non effudit Semele mariti donis jugalibus extincta; ſed multò clarior Puerpera, Sereniſsima Amelia. Infantem quoque exſpectatiſsimum, vernis ſolibus ortum, vernis potiùs floribus decebat coronare, quàm hiſpido apparatu ſpinarum roſas nunquam cingentium. itaque aliæ amœnitates conquiſitæ. repudiatis vulgaribus Genethliacis. ludi, ingenioſi circuitus, figmenta inter ſe contexta, ex ipſa Nativitate dulciſsimæ Prolis emicantia, cum feſtivis ignibus. uſi ſumus Aprili & Majo, in candidum, atque perfacile genus canendi conſpirantibus.

Redeo, unde digreſſus ſum, ad præſens hoc ſcriptum Eclipticum: in quo jocoſa ſerijs, ſacra profanis, mollibus dura, & roſis ſpinas, idcirco miſcuimus, ne characteris Satyrographo debiti penitùs obliti

fuiſſe videremur: piaculo nunquam eluendo. Itaque licèt calamum ſubſtringamus, cohibitâ liberè vagandi licentiâ, nulláque Iuvenales veris indignationibus ſæviant: non tamen omnis mucro eſt hebes: & quanquam pacifica dictio, ad oſtentationem tripudij, ſicut in ſaltatione Pyrricha velitatur; faciles torquentur argutiæ, & inſperatæ. utcunque placidam tempeſtatem polliceamur; ſudo nihilominus Cœlo fulgura, & Satyrarum ſtricturæ intermicant. Atque hic totius Poëmatis genius eſt; ipſæ amœnitates, ipſi flores, ut germina circa montem Veſuvium nata, ſulphur olent, non omnino ingratum. Quomodo etiam videmus certa fercula parari, condimentis permiſta pluribus. ex tam pretioſa Harmoge ciborum, quam Hiſpani *ollam putridam* vocant, incoctorum, intérque tot varios ſapores ſecum aromaticè rixantium, notatur tamen unus præcellere; & palatum calidiùs argutiúſque ſtimulare. Viennæ in Auſtria, alibíque ferunt muſtum præparari abſynthio dilutum, *dulce amarum*, vocant. quod mirificè fauces mulcet, & maſcula voluptate linguam ferit. experimur diverſas

Lectorum gulas eſſe , diverſiſque modis aſſici. Alius ſuavi, alius acri, multi robuſto Carmine, nec tamen iniucundo delectantur. ecce, jam nunc ex eodem dolio, vel ſi mavis, Tripode Delphico, & dulcedinem, & ferociam propinavimus.

ECLIPSIS SOLARIS

Anni M. DC. LIV.

PARS I.

Continens Præludia.

1.

SCilicet exclamem cum Tuſco Vate feroci,
Atque Volaterris nato intra mœnia Lunæ :
O curvæ in terris Animæ, & cœleſtium inanes !
Quin ſæpe & nimis impletæ: quandoque tenaces.
Plùs etiam, quàm ferre queant. prærupta cupido
Aetheris inſpecti quàm latè exterruit Orbem !
Nonne MATHEMATICI tranſcendunt limen Olympi,
Cùm penetrant nubes ! uſque ad ſuprema feruntur
Sidera, & excuſsi rimantur viſcera Solis.
Sic equidem ſublimè volant; ut ſumma petentes
Haud rarò Icariæ renovent ludibria Ceræ.
Argumentum operis, quod rem demonſtret ab ovo,
Terribilis quondam Eclipſis Solaris habetur.
Quam retrò repetens, ne totam oblivia tollant;
Longiqua à primis cauſsis Exordia ſumam :
More avis illius, cujus timet ardea vireis.
Quando ſupervolitat, primò fugitiva putatur
Diſsimulare ſuam velle atque relinquere prædam.
Exſpatiatur enim, ducitque per aëra gyros;
Donec eam ſuperet. tum demum celſior hoſti
Irruit, ungne petens, contorti fulminis inſtar :
Præcipitémque rotat. labuntur ab æthere plumæ.

Ma-

Magnum autem obijcitur, quantum patet, æquor arandum.
De lauri ramis remos dum ſcindo virenteis:
Dúmque viam invado nullo mihi tramite notam,
Ingreſſus Pontum: jam jámque vocantibus Auſtris
Caſtalias per aquas fertur Parnaſsia Puppis.
Clementer, MARCE, adſpira (quamquam Adria longè
Diſtinet, & Dominus Tybris) proſitque Poëtæ,
Caſtora Navarcho te *Pollucémque* vocari.
Sic ego nequidquam fratres optabo Lacones.

2. Multa Mathematici fingunt & multæ Poëtæ:
Fine tamen diſtant certo ac diſcrimine utrique.
Hi prodeſſe volunt & delectare: ſatíſque eſt;
Si mores pravos animis eradat amicè;
Inque vicem inſinuet caſtos facunda voluptas:
Nil refert; faſti peragant, an Fabula. Sive
TROS ANCHISIADES fuerit Carthagine, ſive
Non fuerit (Tyrios fineis & Punica Regna,
Conſtat, Dardanias nunquam tetigiſſe carinas.)
Nil inquam refert. alium reſpexit ad uſum
Andinus vates, & plenus Apolline multo.
Quid ſit Amor, quàm vanus Amor, quàm ſævus & acer;
Quàm levis, inconſtans, furioſus, & ordine nullo
Præcipitans, tandem Tragicos deducat ad Actus:
Iſtud Virgilium voluiſſe docere, putabis:
Non ſine laude ſua, & celebri per ſecula famâ.

Si, quem Parthenope tegit, ex tumulo cinis immo
Surgeret; atque iterum felix Æneidos Auctor
Appareret humo ruptâ, ceu functus Achilles;
(Te poſcens diro mactanda Polyxena buſto)
Abſque metu vel dedecoris, vel criminis ullo,
Diceret: ô Iuvenes, *vos ô quibus integer ævi*
Sanguis adhuc, ſolidaque ſuo ſtant robore vires:
Otia, & extentos vitate cupidinis arcus.
Præmoneo exemplis: facienda, cavendáque monſtro.
Diſcite figmentis noſtris bene vivere. FINXI.

An plus artis habet *Ciceronis* clauſula, DIXI?

Certè fortunæ minùs obtruncanda coactus
Colla dare; effuſo madefecit ſanguine Roſtra.
Virgilius placida compoſtus pace quieſcit:
Halat & Aonijs hodie quoque floribus Vrna.
Sed non futilibus *replenda eſt curia verbis*:
Turne mones: ſequimur. Drancem damnamus iniquū.
Vt credant oculi, quod credere reſpuit auris:
Muſa mihi concham præbe, Clarióſque colores.
3. *At Regina gravi jam dudum ſaucia curâ,*
Vulnus alit venis; & cæco carpitur igni.
Vnde mali labes, & tam penetrabile telum?
Multa Viri virtus animo, multúſque recurſat
Gentis honos. hærent infixi pectore vultus.
Hos oculis avidè nimiùm ſitientibus hauſit.
Clauſiſſet potiùs; ne forma aliena noceret.
Sunt in amore duces. ſi Dido cæca fuiſſet
Tunc ſaltem, vel luſca, atque uno lumine captæ:
Cum vita lumen non amiſiſſet utrumque.
Ingenium artificis magnum mirare Poëtæ.
Nondum omnis perijt. ſunt ſemina mentis honeſtæ.
Pugnat in adverſum, ſecum deliberat: audi.
Si mihi non animo fixum immotúmque ſederet;
Ne cui me vinclo vellem ſociare jugali:
Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.
Quæ, ne ſuccumbat, metuit; tamen hæret in uno.
Et timidè gaudet, ſperátque, & pigra reſiſtit;
Incipit in media dubitans ſuccumbere pugna.
Solus hic inflexit ſenſus, animúmque labantem
Impulit. agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Nupta ſemel: thalamos gùſtatáque mella relinquet
Aegriùs intactâ. Babylonia pocula, Virgo
Cunctis cruda viris, caſtéque abſtemia ſemper,
Spernit, ut ingratum labruſcæ vilis acetum.
Sed mihi vel Tellus, optem, priùs ima dehiſcat:
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad Vmbras.
Quando jurat amans; perjuria certa ſequentur.
Iurat amans Mulier? riſum teneamus amici.

Ille meos, primus, qui ſe mihi junxit amores
Abſtulit; ille habeat ſecum, ſervétque ſepulcro.
Propoſitum viduæ, juvenis, florentis, amœnæ,
Divitis; in folijs, Autumno flante, caducis
Et fluida ſcribatur aqua. conſiſtere neſcit.
Decepta eſt blandis, poſsis ignoſcere, verbis;
Punica cognatæ ſtudio ſeducitur Evæ.
Anna Soror, Soror Anna, ſuam maleſuada ſororem
Traxit in exitium, ferróque extrema ſecutam.
Soláne perpetuâ mœrens carpére juventâ?
Nec dulceis gnatos, Veneris nec prœmia nôris?
Sibila non Phœniſſa notas? tua ſibilat Anna.
Id cinerem aut Maneis credis curare ſepultas?
Obſerva: ſemper mortem furioſa libido
Horret, & immerſa eſt præſentibus. omne futurum
Deſpicitur. Dido defunctum abolere Sichæum
Incipit, & formâ peregrinâ paſcitur. actum eſt.
Vritur infelix Dido, totáque vagatur
Vrbe furens: qualis coniectâ cerua Sagittâ.
Hoc habet. hæret enim lateri lethalis arundo.
Tranſijt in fibras tota cum Matre Cupido.
It portu, jubare exorto, delecta juventus.
Retia rara plagæ; lato venabula ferro;
Maſſylíque ruunt equites, & odora canum vis.
Progreditur Dido, magna ſtipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
O ſi venatum nunquam cum Conjuge falſo
Iviſſet! nunquam in ſaltu lupa capta fuiſſet.
Speluncam Dido, Dux & Trojanus, eandem
Deveniunt. prima & Tellus, & pronuba Iuno
Dat ſignum. fulſere ignes, & conſcius Aether
Connubij: ſumméque ulularunt vertice Nymphæ.
Turpis Amor refugit lucem, latebráſque requirit.
Non cœptæ aſſurgunt turres: non arma Iuventus
Exercet. pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquatáque machina cœlo.
Otia ſuadet Amor, ſocors ædilis in hortis

Crebriùs atque toris reſidet, quàm mœnibus urbis.
Non bene conveniunt labor & laſcivia mollis.
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem.
Coniugium vocat : hoc prætexit nomine culpam.
In barathrum gradibus deſcenditur. hoc habet omne
Flagitium. primò timidè patratur inaudax:
Deinde placet. Senſim fit ſe robuſtius ipſo.
Pòſt etiam virtus,& ſancta vocatur Honeſtas.
Pulcrâ legitimi velatur imagine Iuris.
Mittitur interea Cyllenius ales ab alto:
Qui Phrygis ingratos Superi tobjurget amores.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis alta
Fundamenta locas,pulcrámque uxorius Vrbem
Exſtruis: heu, regni, rerúmque oblite tuarum.
Dicere Amatori poſsis cuicunque : quid audes?
Aeterníſque bonis præfers peritura, volánſque
Momentum? heu, cœli, rerúmque oblite tuarum!
At verò Aeneas aſpectu obmutuit amens.
Amens omnis Amans. Amor eſt inſania Sani.
Ardet abire,fugâ dulcéſque relinquere Terras.
Ardet abire fugâ: nunquam debebat adiſſe.
Idalium facile eſt labyrinthum intrare volenti;
Difficile eſt exire, viámque requirere retrò.
Ingenium mulier multa tegit arte doloſum.
Omneis quis numeret fraudeis, animíque receſſus?
Interea pungunt ſtimuli : Mens conſcia mordet.
Quem ſemel amplexu tenuit viſcoſa voluptas;
Stringit, ut arreptum præceps Iovis Armiger uncis
Implicat,hamatíſque hærens ligat unguibus anguem.
Heu. quid agat? quo nunc Reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia ſumat?
Iamne etiam ſentis Ductor Trojane laborem?
Quo grando & pluvia,& Iuno ſpectârit, & antrum
Speluncæ, *Summóque ululantes vertice Nymphæ.*
Fortiter illecebris primis obſtare decebat.
Nondum expertus eras,quid Amans,& femina poſſet.
Hoſpes Amor,primò ſupplex ad limina factus,

Blanda voce aditus petet, admittíque rogabit.
Admiſſus penetrat. poſtquam poſſederit arcem:
Aegriùs *eijcitur quàm non admittitur hoſpes*
Hic quoque. Sit nanus, ſit tantum puſio bellus:
Sævior eſt Selymis & Bajazethe tyranno.
At Regina dolos (quis fallere poßit amantem?)
Præſenſit: motúſque excepit prima futuros
Quiſquis amore furit, ſpretus, pendebit, ut Iphis:
Quæque ab amore dolet, fiet Medea puella.
Méne fugis, per ego has lacrymas, dextrámq; tuam te,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum. miſerere Domûs labentis, & iſtam,
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem,
Quid faciat, vinclis ſeſe quibus induit ipſum
Captus? in has ſolvit pallens ſuſpiria voceis.
Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes.
Deſine méque tuis incendere téque querelis,
Serò Phryges ſapiunt. ſequitur Metanœa peractum
Crimen, & Aenean arcano verbere cædit.
Hoc tamen advertas: citiùs reſipiſcere tactos
Delicti gravitate viros. vitioſa furénſque
Tardiùs agnoſcit commiſſam femina culpam.
Segniùs exuitur; vitiúmque invita relinquit.
Talia dicentem: jam dudum averſa tuetur
Luminibus tacitis: & ſic accenſa profatur.
Nec tibi Diva Parens genitrix, nec Dardanus Auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus; Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.
Didone ô quantum Dido diſtabat ab illa
Hoſpitis admirante genus, geniúmque, genáſque,
Et faciem cœlo dignam. quum diceret Annæ:
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum.
Quum ſic demiſsè fugitivum affata ſuperbum:
Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles; ſi quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret;
Non equidem omnino capta, aut deſerta viderer.

Tunc

Tunc & blandicias,& mille noviſsima movit,
Per Patris Anchiſæ caput,& ſurgentis Iuli.
Vertit torva ſtylum, mutatóque aſpera vultu:
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?
Heu furijs incenſa feror. neque dicta refello.
I ſequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Omnibus Vmbra locis adero. dabis improbe pœnas.
Sed neque & iſta diu tempeſtas durat in ore.
Ire iterum in lachrymas: iterum tentare precando
Cogitur. & ſupplex animos ſubmittere amori.
Huc deducit enim damni ſécura libido,
Et probri propriique ſtatûs. vileſcere, dulce eſt,
Officij, generis, ſceptri reverentia ceſſat.
Vſque ſuo indulgens potiatur femina voto;
Calcat humi pedibus raptam de vertice mitram.
Talibus orabat: taléſque miſerrima fletus
Fértque refértque Soror. ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut ullas voceis tractabilis audit.
Diſce, quid eſt firmo reſidens in pectore robur.
Mens immota manet: lacrymæ volvuntur inanes.
Vnde hæc duricies? non eſt niſi ab æthere virtus.
Fata obſtant: placidáſque viri Deus obſtruit aures.
Adſcribat cœlo, quiſquis ſuperavit Amorem.
Viribus humanis multò Puer altior ille eſt.
Vicit & Alceiden, domito Domitore ferarum,
Subjecit clavam pharetræ,cygnóque leonem.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat.tadet cæli convexa tueri.
Neſcit enim caſtos ad cœlum tollere vultus:
Turpis amor multóque minùs ſuper aſtra levari.
Terra caro eſt. tendunt & Terra caróque deorſum.
Hinc exaudiri voces. & verba vocantis
Viſa viri; nox cùm terras obſcura teneret;
Soláque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri,& longas in fletum ducere voceis.
Quæ lethum properè accerſit,vitámque miniſtrat,

Vna

Vna Dea eſt. eadem thalamis tumuliſque præeſſe
Creditur. alternis Venus & Libitina vocatur.
Dixerat: atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſémque cruore
Spumantem, ſparsáſque manus. it rumor ad alta
Atria. concuſſam bacchatur Fama per urbem.
Peccati merces, Mors eſt. hic exitus ergo
Luxuriam, & tantæ Reginæ fata coronat.
4. Hactenus ex *Quarto*. claudamus, MARCE volumen
Dicere ſi fas eſt, heic Smyrnam *Mantua* vicit.
Ardua quod cecinit divini Muſa MARONIS;
Seu verò Hiſtoriæ digneris nomine Carmen:
Seu figmenta voces phaleris ornata; perinde eſt.
Nónne vides, quæ mens fuerit finiſque Poëtæ?
Nempe cothurnatis, quoties audimus, abundè
Inſtruimur dictis, opportunéque monemur;
Hic & ibi, quid ſit magnis in rebus agendum.
Fabula ſtat talo hoc. *ludentem dicere vera*
Quid vetat? ex ficto præcepta capeſſere morum
Quid nocet? Annales veri vix altiùs hærent.
5. ASTROLOGUS contrà nil vult finxiſſe videri.
Certa tenet ſemper. velox oracula fari,
Neſcio quem *Tripodem* ſublimi verſat in axe.
Certè aliquod memorare ſolet perſæpe *Trigonum*;
Annulus ignivomus triplex eſt ſemper in ore.
Is velut è cœlo deciſa referre ſuperbus,
Gaudet prodigijs auritam tundere plebem.
Dum celebres nugas inter præſagia ponens;
Horrendas canit ambages, antróque remugit,
Tanquam Cumano; paſtus radice Sibyllæ,
Et folijs, lappíſque (& lappis veriùs albis)
Euboicóque caput novies in pulvere merſus.
Poſtquam Hyades, Taurique Oculum, caudámque
Torvúmque inſpexit torviſsimus Oriona: (Draconis
Ilicet, audaci flatu, denunciat Orbis
Occaſum; & morbos, quales non viderit unquam
Hippocrates; plagáſque, & non medicabile virus.
(Cur

(Cur autem verſat Fortunæ utriuſque Cylindrum:
Immò hominis mores, libertatiſque bilancem?)
Per barbam Iovis, ac frameam jurare paratus
Martis, (an & laqueos, queis Lemnius induit illum?)
Producuntur item Veneris cum cyclade ceſtos:
Saturníque ſenis falx, Mercuriíque galerus:
Et circumductæ Lunaï cornua rhombo.
Quin etiam Solis diadema, vetúſque capiſtrum,
Quo regit altus equos. Phaëthontis mentio nulla:
Qui tamen ante omnes foret hæc ad ſigna citandus.
Errores tanti. ſed nunquam errâſſe fatentur:
A Delphis redijſſe putes, & Memnonis ara:
A fonte Hammonis Libyci, Sacróque camino.
Diphteráque inſpecta eſt. quid? *Diphtera*! ſic ait unus:
Quà patet, Oleniæ pellis perviſa capellæ.
6. Hoc docet, & magno Faſtos diſtendit hiatu.
Quos laudat *Senior* venditque ENTERVS. opum vis
Ejus in his ſtat tota, & dulcis maſſa lucelli.
Fit bene nummatus. faciunt phantaſmata pinguem.
In loculis numerat *Stellas*, aſtra aurea, *fixas*.
Ille ſcit *erranteis* ciſtâ cohibere *planetas*,
Qui priùs aſpectus non conjunxere ſecundos.
Hinc NORIMBERGAE ſunt omnia plena *Kalendis*.
Accurrit, fluitátque animis ignobile vulgus.
Quale fugit Vatem vera ac præclara canentem.
Sidera monſtranti *Fixa* atque *Errantia* paret:
Et tremit ad nutus: *arrectíſque auribus adſtat*.
7. Ne tantùm videar dare verba, nihilque probare:
Incipe promiſſæ venæ memor, incipe noſtra
EUTERPE, quoniam canis aſpergitur ætas,
Forſitan extremum feſtivè hoc ludere Carmen.
Nec te torua tuens macies deterreat. antè
Quàm moriar; ſine me, *ſine me hunc furere antè furorē*.
VRANIEN cantare piget: quotiéſque rogamus,
Triſtior abnutat. cultorum quippe ſuorum
Somnia & Eclipſes, deliriáque intima noſcens
Occultat pudibunda caput, celátque dolorem.

PARS

P A R S II.

Continens antece-tia Eclipſin.

8.

INduerat nec dum ſe Quinquageſimus Annus
In Quartum. jam Fama volat prænuncia luctûs,
Impellitque fores Iani, totâmque tremore
Succutit Europam. Rumoris prævius Auctor
ARGOLUS, in veteri reſidens Antenoris urbe
Italus; HIEBNERUS Teuto: reſponſa Deorum,
Eque Mathematico cœlo portenta loquuntur:
Et cerebella hominum miris crabronibus implent.
Conſummandum Orbem: properare noviſsimá Fata;
Extremúmque inſtare *Diem.* mox omnia latê
Seſſura in cinerem. (ſed quò cinis ultimus ibit?)
Extemplo turbati animi. concurritur. ardent
Scire, quid in rem ſit. velut undâ truditur unda;
Affluxus populi fluctu obluctatur eodem
Eſtne ita? quid dubitas? *ſed ain?* narratur ubique.
Dic, rogo. quàm tetrico vultu! quid tandem utero fers?
Surge, age. *nil metuo.* tanto in diſcrimine rerum
Diſsimulare libet? *cur? obſecro.* proximus omnis
Vcalegon. *Nova Troja!* cavâ nox induet umbrâ,
Quotquot erunt homines. Tellus marcebit & Aether.
9. Quomodo? jam dixi ſubijt MEDESIMUS altum
Vociferans. ad quem COLOPHON vicinus: ain tu?
Sic eſt. Prô Superi! *Totâ nos eſſe diurnâ*
Lampade privandos! ac ſi Nova Zembla teneret,
Seu glaciale fretum, ratibûſque impervia Thule.
Totum aſtrum in tenebras deſcendet? funditus atrum.
Nimirum digitus reſtabit forſitan unus:
Ex quo relliquiæ Solis videantur operti.

Fædabit reliquum corpus caligo profunda.
Atque adeò ſpiſſa glomeranda volumina noctis:
Qualis in Ægypto Pharaonis terruit Aulam!
Multorum hic metus eſt. aliquantò mitiùs, opto
Et ſpero; accenſis ſuperari poſſe lucernis,
Sphæræ fixa ſuæ ſtellarum caſtra videnda,
Déque die medio, ceu nocte micantia, volui!
Vt dicis. neque enim obſiſtet Sol cæcus, & æger.
Caſuras avium tenebroſo ex aëre turmas!
Sic ajunt. plaudent igitur Nycteides unæ:
Soláque deſertis regnabit noctua tectis;
Iam non ex vano dirum Mortalibus omen,
Sed mortis veros occentatura pavores. (los:
Aſt COLOPHON quaſſánſque caput, vulsúſque capil-
Vt video nos Fata urgent. fuga nulla juvabit.
Colligere alveolos, & convaſare monemur.
Legibus everſis Naturæ, atque ordine rupto,
Quid ſuper eſt, totum niſi Mundum evertier unà.
Extremum mihi viſe vale MEDESIME. toto
Pectore adhuc trepido. Eclipſi quid fiet in ipſa?
10. Hæc inter primos ſunt libamenta ſuſurros,
Sumpſerunt etiam majora augmenta vagando,
Creſcentis ritu fluvij. Mox addidit unus:
Militiam cœli totam, omnia ſidera in armis
Procinctúque fore: & latè increbeſcere luctum.
Adjecere alij, quæ prima inſania dictat,
Effingítque timor: conſpecta *Parelia* cœlo,
Curribus adverſis metuenda, & diſpare vultu
Majorem ſolito Lunam: excuſſóque tiara
Romanæ ſimilem capiti impoſuiſſe Coronam,
Sæpe etiam noctu, quoties procedit Orion,
Flammigeras acies fulvis in nubibus haſtas
Conflictu quatere, & belli ſimulacra ciere.
Crinitúmque jubar longo cum ſyrmate viſum,
Cætera terrificis fulgoribus aſtra fugâſſe.
Præterea certo puteos auctore referri
Naturam mutâſſe ſuam: multóſque cruorem

Fundere pro lymphis: lapidéſque hinc inde pluiſſe:
Et nullis cauſsis, nullóque excocta calore
In brumam ac caluos cecidiſſe ceraunia Menſes.
Marmora ſanguineo ſudore madentiá cerni:
Et paſsim pecudes humano more locutas.
Quæ, quid ſunt aliud, quàm prævia ſigna ſupremi
Excidij inſtantis. Famâ perculſus iniquâ
Dicitur HERMANNUS SARTORIUS ingemuiſſe:
Sartor erat: quo nec melior, nec acutior ullus
Veſtimenta novis mirè variare figuris.
Poſthac in ſerum tempus non multa reponam.
Parciùs invigilabo lucris, duróque labori.
Quò mihi divitiæ tanto ſudore parandæ?
Cui bene parta bono? quæ jam neque primus habebit,
Nedum ter decimus, ſed enim neque tertius heres.
Occumbet mecum SILVESTER filius unà.
Sic fatus pannum manibus projecit, & ulnam
Indignans, calamóſque & acus, ceratáque fila.
11. Hi tunc ſermones. quos inter, manè profectum
Autumno me tollit equus ſublimis adulto, (phis?
HIRSCHAVIUM verſus. cui non hæc cognita Mem-
EGRAE ſubſtiteram: méque huc Fortuna ferebat.
Capturum ſomnos, qua dux *Fridlandus* in aula
Supremum vidit, Scotâ porrectus ab haſtâ.
Evigilans dum paſco oculos, & compita luſtro
Incidi in Aſtrologos POBYBUTEN & PETOSIRIN!
Sed Petoſiris erat ſenior, prænomine dulcis
Ambroſij gaudens, olim Tychonis alumnus.
Iam totam implêrant varijs rumoribus Vrbem.
Miſceo ſermones, luctórque adnixus in aſtra.
Continuò tedas iſti jactare ſonanteis
De cœlo, duplicémque Polum percurrere linguâ.
Ventum erat ad SOLEM. Tunc ſuſpirare: ſequentis
Anni Fata tremens Alter prædicere Menſem
Auguſtum: quo triſte Chaos revehetur in Orbem:
(*Non bene junctarum diſcordia Semina rerum*)
Adverti, quorſum PETOSIRIS vergeret, & quid.

Vellet eo gemitu. Num tanti cauſſa timoris,
Percitus ajebam, miſeris Mortalibus inſtat?
Quantas concipitis vana formidine vireis,
Nulla Eclipſis habet. Vos hæc ludibria ſacris
Corporibus cœli! tanton' extinguere probro,
Lucis inexhauſtæ fontem, Patrémque Diei!
Ceu metuat, veluti noſtræ de more lucernæ,
Fætenteis olim fungos Titantia lampas
Defectùmque olei. jugis fons luminis ipſe eſt.
Sed neque tam multùm poterit *Nova Luna* nocere
Nam minor impediens tanto non ſufficit orbis
Celando jubari. nec, ſi Soror obvia Fratri
Fiat, & oppoſito prævelet lumina peplo;
Oblimat totum generoſi Corporis ignem.
Finge tamen, Phœbum totum oblimarier: ejus
Saltus ſunt rapidi; volucres agiléſque caballi.
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Quippe *gigas magnis exſultat paßibus*, & ſe
Ocyus hinc aufert, Phœbe poſt terga relictâ:
Nulla mora eſt. Vrget POLYBUTES. Sed mora qualis-
cunque nocet. poſitus ſub Luna ſentiet orbis.
12. Quid? quod in illuſtri ſolio, quia *corde leonis*
Tale nihil metuens, & non ſine *crimine læſæ*
Majeſtatis, (iô Regi ſuccurrite veſtro
Sidera!) & in *propria* SOL oppugnabitur *Arce*,
O ſcelus! hinc atque hinc à conjurantibus armis
Obſeſſus. lævam SATVRNI plumbea Sica
Occupat, & curuo luctatur dente ferire.
MARSPITER infeſto dexter mucrone laceſsit,
Captivum terrens: ſudorémque exprimit atrum;
Quid tum? dicebam. *Quid tum?* miratur, & addit
Iam tumidus vehemênſque, & ſeſe doctior ipſo.
Dum cœlum, mare, terra manet; non triſtior unquam
Stellarum poſitura fuit; conjunctio peior;
Deterior nexus. ſub talibus ergo planetis
Non poſſunt non dira ſequi, & ſpirantia Mortem,
Ni Superi avertant. Vtroque à cardine vulſum

Sub-

Subſidet cœlum (*& multa capientur alaudæ*)
At quia nam ? (*quare ?* dedignor quærere.)nunquid
Non aliquid conforme ſibi producere cauſsa
Quæque ſolet ? retulit. Sic ergo mente tenebis
Diſcurrens: inclementis ſi ſæviat aſtri
Nota nimis rabies; læſo fulgore benigno
Alterius, penitúſque procaciter interciſo:
Haut dubiè mala prorumpent horrenda relatu;
Confertimque omnem Europam ſtipata globoſo
Agmine inundabunt. Cædes, diſcrimina mille,
Mille nocendi artes,tempeſtatéſque cruentæ :
Prælia ventorum atque hominum ipſarúmq; ferarum;
Præterea maleſuada fames,ſemeſáque membra ,
Corruptíque lacus ; aërque infectus, & œſtrum
Hungaricæ febris, morbóque implexa phreneſis.
Ex quo vita fluit, nativíque ætheris hauſtus;
Inceſtant totum MARS & SATVRNVS Olympum.
13, Dixerat.excepit PETASIRIS,& amplius urgens;
Luna premit Solem. Soli magnóque timetur
Romulidum Imperio. Machometis acinacis inſtat.
Iam Chalcedonias latè diſperget arenas
Boſporus in latium :regnatricémque Viennam
Obruet.hoc *Stephani* mox ſentiet ardua *Turris*.
Obſtupui. Sedere comæ : vox faucibus hæſit.
Nequidquam : patulo ſed plenior excidit ore.
Quomodo?percontor. Quid agant ſuper Axe Planetæ,
Nimirum curet Cæſar, vel Cæſaris aula !
Sol premitur, falſum eſt.apparet preſſus; & olli
Nec ſcintilla ſuæ lucis deceſſerit unquam.
Non mendicato vivit,ſe divite felix
Auriflui immenſum vacuet quis ſideris æquor?
Nos obfuſcamur,cùm nil de Sole videmus.
Nos cæci ſumus, ille Oculus manet inconnivus.
LVNA autem verè ſplendorem amittit hiulca;
Et vacuas valles vultúſque oſtendit inanis :
Influxum prohibente globo Telluris opacæ.
Qui niſi præveniat; pauper ſitit, eſurit,alget:

Turpis, inops, ſquallens, nuda & maculoſa videtur;
A nullo in ſponſam tunc Endymione petenda.
Sic adeò inſiſtam te ſtringere, ſi tua quidquam
Argumenta probant, potiùs contraria dices.
Odryſiæ tandem frangentur cornua Lunæ:
Quam ferus evexit primis *Othomannus* habenis
Latiùs indulgens; proprij Domus iſta decoris
Nil habet, hoc Byzas Conſtantinúſque loquuntur.
Omnibus in ſignis, quæ Thrax recutitus adorat,
Vivitur ex rapto, ſcriptum reperire licebit.
Sacrilegus *Machomet* Sceptro vitiiſque ſecundus,
Eripuit nobis primæ cunabula lucis.
Turca, aliena tenet. prædator præda futurus
Tempore deficiet: ſpoliiſque Orientis onuſtus;
Evomet Auroram cum tot ſimul urbibus hauſtam.

14. Avstriaci Soles proprio fulgore coruſcant,
Innatúmque ſibi fundunt jubar, inſtar Eoi.
Non aliunde petunt radios: de pectore manant,
Oceanóque ſuo. Fortunam nulla malorum
Tempeſtas libare poteſt. non ſi omnibus armis
Muſulmannigenæ nebulas effundere tentent,
Obſcurare queant; neque vis exhauſerit ulla
Sideris hujus opes. pone iſto ex ſemine natum
Plebeios inter, ſummóſque immóſque, nitebit.
Prandeat Auſtriacus cum fabris, & figulis, &
Carbones atros, pelléſque parantibus albas:
Vt Sol illuſtrans Mœotida, labe paludis
Ne quidquam inficitur; nihil imminuetur ab illis.
Majeſtatis apex media in caligine fulget.
Regibus hoc donum paucis, vix contigit ipſi
Pellæo. Multos regalis purpura tantùm
Guttatim aſpergit. Super has *effunditur* oſtrum,
Ceu rapidus torrens. quàm claro flumine præceps
Eridanus liquidi rotat aſtra madentia cœli.

Sic Superi ſtatuêre. virens Haebspvrgica Radix,
Crevit in immenſum nemus. icta ſecuribus, auget.

Succi-

Succiſis ramis fecunda repullulat arbos.
Quò plureis cædis, majoreis explicat umbras.
Luxuriaturæ ſpacium ſi dempſeris, addis.
Atque adeò vel damna juvant. Diſcrimina tantò
Celſiùs attollunt. Quiſquis conatur obeſſe;
Hoc ipſo prodeſt. fureret cùm plurimus hoſtis,
Sævus, inacceſſus; captóſque includeret arctè:
Profuit, obſeſſos circumſcriptóſque fuiſſe.
Non nocet armatus, qui ſæpe noceret inermis.
  Toxica & ægrotos ſanant. *Othomannica Porta*
Et *Porta Inferni* (Ditis) torquentur eodem
Cardine. qui pulſat votis vel fraudibus unam,
Vt noceat *Rubro-niveis*; intrabit utramque.
Pace togata ſalus ſequitúrque & ſtipat eunteis.
In bello galeata ſalus præcedit ovanteis.
  Hæc DOMVS electa eſt, ut, quod facit, imperet. Orbe
Everſo, non antè mori cogetur. eundem
Accipiet *Mundus caſurus* & *Auſtria* finem.
Vt ſint Terrarum Domini, Natura potenteis
Inſtituit. Fatis ad rerum culmen aguntur.
Libera non ipſis datur optio : publica dici
An privata velint perſona. capeſſere clavum,
Atque, ut multa loquar paucis, regnare rogantur.
Sed videor dixiſſe parum: regnare jubentur.
Nec ſic me explicui totum : regnare neceſſe eſt.
Non licet, ut cupiant, grandeis avertere curas.
Vt Leges & Iura ferant, hoc Fata requirunt.
Hac ſunt lege dati : ſunt hoc & lumine nati,
Vt ſemper radient. Natalibus iſta poteſtas
Ex æquo affixa eſt. regiménque & vita cohærent.
Cum luce aſpiciunt ſceptrum: gremióque parentum
Vt ſolio, inſidunt. Simul infans hauſerit auram;
Afflat eum major genius meliórque. feroci
Vagitu jam ſceptra petit ſibi debita tradi.
  15. Talia fatus eram. POLYBUTES talia fatur.
Errorem fateor. neque conjectura placebat

Itala. ſpargebam, quod vendidit Argolus; ut qui
Pſittacus enarrat, dictatáque carmina roſtro
Excipit, & memorans non intellecta reponit.
Númne autem & falcem Saturni cuncta metentis,
Cum ſenibus pueros (pueros magis) eſſe timendam
Vitandámque neges? infanteis illa ſecabit
Indutos rallâ & primis, ceu gramina, bullis.
Vt fœnum in pratis. cani & lanugo iacebunt:
Quid porrò? nullæ ſegetes, nullíque racemi.
Vis, vigor, & virtus in germine, palmite, totis
Exhalabit agris. defectum & cærula Tethys
Sentiet, & cognata Thetis: fontéſque, lacúſque.
Quid ſacræ fiet ſcatebræ *Fontíque ſalutis?*
Vnde acidus medicúsque latex ebullit inemptus.
Amittet vireis, aut exſiccabitur, inquit.
Dummodo, ſubjeci, fugiente per avia Mundi
Non caput abſcondat cum Nilo, & deſerat EGRAM.
Tunc fieret primùm ægra, maliſque obnoxia morbis.
Hæc fatus, vix jam cohibens ſpiracula riſûs,
Vtrumque Aſtrophilum, BENDA comitante, reliqui.
16. Par veſpillonum multò prudentiùs Egræ
Se geſſit. juvat horum & dicta & facta referre.
Alter *Naburgi* plebeiâ ſtirpe creatus,
Matre Palatinâ SARCANDRI nomen habebat:
Alter calvus erat, vicina ex gente Bohemus:
Atque ut fama tulit, juvenis *Petroffskius* olim
Crudus adhuc viridíſque ſenex. poſt pocula ſermo
Ibat in Eclipſin. neque enim fuit ulla popina,
In qua non madidis ſuper hac facundia verbis
Luderet, aut gemeret, formidarétque diſertè.
Contra hos SARCANDER: nihil hæc commenta Sophorum
Inſanabilium, terroris inania, curo:
Quales verò minæ! *Sol obſcurabitur.* eſto.
Illo utique & noctu careo: cupiámque carere.
Si video ſomnum, ſatis eſt: quotiéſque profundum
Findo cavum, ut *functus* terræ ſuccedere poſſit:
An non eclipſin patior, lucémque relinquo,

Ma-

Manibus admotus? tenebras tamen has amo, & illis
Formoſum poſtpono diem. niſi lumina claudant
Mortales, nullum in lucrum mea pandere poſſum.
Dixit,& immani Zythi ſe proluit orca.
Foſſa ſepulcralis, veſpillonum aurifodina eſt.
Hinc fodiuntur opes. PETROFFSKIVS annuit æquus:
Ac ſocio,quæ me ſpes lactet & impleat, audi.
Pravis cerriti jam judicijs homines ſunt.
Cerritos faciunt Faſti, mendacia, terror
Panicus, & quidquid nigris diſtillat ab aſtris.
Corpora ad interitum ſic diſponuntur & umbras.
Inde omen fauſtum capto. præſciſcere longè
Fata licet, noſtros conſolatura ligones:
Inque manus venient opulenti funera cenſûs.
Mortibus utendum eſt, & acuta forfice Parcæ.
Aſtrologos,ſi quid mihi credis, *eburnee frater,*
Defendo, complector, amo: his me debeo totum.
Vaticinantur enim clades, contagia,peſtem:
Quæ ſi defuerint; nullúmque eliminet uxor
Feſſa virum ſocrúmue nurus, nuptámve maritus:
Nos premit atra fames. ſcabri triſtiſsima dentes
Otia agunt. vacuis regnant jejunia malis.
Cùm video Hexaphoros,& plangit præfica tumbam;
Lux oritur. redeunt vires: exeſſe jubetur
Pauperies. nummi creſcunt, & cura peculi.
Non nocet HIEBNERVS nobis,non ARGOLUS:& qui
Gaudent prodigijs auritam tundere plebem.
O Medici,eclipſes populis immittite multas.
17. Vt ſæpe ex parva ſcintilla incendia ſurgunt!
Quà *Salices* in nomen eunt jactantius urbis:
(Quod ſitus exauget, Dominúſq; Duumvir & Arcis
Vicinæ ſpeculans campos PARCSTEINIA RVPES,
(*Sicut acuta ſilex præciſis undique ſaxis.*)
Eclipſis ſtatuit monumentum triſte futura.
Namque in caupona fundente utrumque liquorem,
Lenæum & coctæ Cereris fuligine miſtum;
Convenere viri,ſpectandi viribus ambo,

Atque ætate pares, armorúmque inſuper uſu.
Si memini *Tigurinus* erat procerior unus,
Noſcendus lingua cultúque: *Sileſius* alter.
Dum mutant cyathos, dum crebrior amphora vini
Poſcitur, & largus potantibus influit humor;
Inque nigra duplices numeri crevere tabella:
Spumat in alloquium tandem vindemia fervens:
Vtque fit, *ex Libris de cælo* mira loquuntur.
Materiam fandi plerumque bibentibus altam,
Et ſupra captum rudis ignorantia præbet.
Ille Mathematicos magno defendere niſu:
Iſte refutatos majore explodere riſu.
Ac, quoniam ingeſto cerebrum fumabat Iaccho,
Tangebat capulum: Miles non utitur aſtro
Ad pugnam, niſi *Marte* ſuo. ſua dextera cuique
Augurium & ſtella eſt. ſi vis, uter æquiùs ergo
Iudicet, Aſtrologis nequidquam obnoxius ullis.
An magis addictus; litem hanc interprete ferro
Decidamus, ait. nudo mox fulgidus enſe
Adſtitit, alterno protendens brachia motu.
Hyrtacidæ fœnum jam dudum in cornibus altis
Arſerat: &, faxo, reſpondit turbidus, ut te
Pœniteat ſic poſſe loqui, ſic eſſe locutum.
Congreſsúſque, *ſuo* dedit oſcula ferre *leoni*,
Qui ſedet in capulo, ac ſpatioſó vulnere ſtravit.
Sponſus erat. quod ubi ſponſa intellexerat, eheu
Accurrens, truncúmque levans in ſanguine fuſo
Lapſantem: quò me vertam? miſeranda gemebat.
Necdum Eclipſis adeſt, & jam tua lumina clauſit,
Care Raponsili. Quot quantáque funera præſens
Edet? ad interitum feſtinant omnia certum.
O diri Aſtrologi! ſic anticipatis agones!
Præſtaret nullas, vel Græcas eſſe Kalendas.
Infelix ut quid ſupero? ſequar ire ſub umbras
Conjugis, ut tumulo ſaltem jungamur eodem.
Quandoquidem thalamum mihi ſors infida negavit;
Extinctis tædis ultra jam vivere tædet.

Dixit

Dixit, & os impreſſa ſolo, quo funus acerbum
Procubuit: flore ætatis moriemur in ipſo?
Sed moriamur, ait. Sic? Sic. Símque altera Thisbe.
Concutiénſque comas, mucronem ex vulnere captum
Aptauit iugulo, Sed enim vicina cruentis
Eripuit manibus Baſiliſſa, iuuante marito;
Auerténſque nefas, clamantem, *gloria Leti*
Inuita eripitur, miſeram ſupereſſe coëgit.
Latronem fuga mox & ſilua Bohemica texit.
18. His animum impletus monſtris, ſub nocte ſilen[illegible]
AMBERGAM redij. certè hæc addicta Planetis
Non erit, aiebam. Sed & hæc addicta Planetis
Vrbs erat. inveni corruptam moribus ijſdem.
Vana ſuperſtitio pagos pervaſit & urbes.
ARGOLVS in thermis, in luſtris atque Lyceis,
Ante popinarum ſedes, & ſigna ſonabat.
In cathedris clamatus item. per pulpita tractus,
Iliacos intra muros regnabat *& extra.*
19. Quid populi referam tibi, POLLVCINE, tumult[illegible]
Per commune Forum, per longa & ſtrata viarum?
Heic, ubi MARTINI prope templum ſunt quoque *lin[illegible]*
Venales. ubi garrulitas pulſata reſultat, (*quæ*
Raucáque confuſis miſcetur vocibus Echo.
Femineum A prima claſsis: ſicut vetus eſt mos.
Præſertim ad FONTEM: cum corbibus aut calathiſcis,
Quando conveniunt *ancilla, Sybilla, Camilla,*
Atque harum Dominæ *Druſilla, Placilla, Marilla,*
Cum *Violantilla,* necnon *Flaccilla puſilla;*
Auget clamorem *Flaviſſa, Meliſſa, Ciliſſa.*
Parte alia blaterant *Catharina, Roſina, Sabina.*
Et cum *Martina, Dalphina, Marina, Begina:*
Adverſúmque ſonant *Nerrinna, Barinna, Corinna:*
Anſeribus ſtridere putes atque omnia latè
Clangere, vel lituis præeuntibus, arma movere
In veſpas examen apum: nubémque canoram,
Exploſis fucis, cogi ad tentoria Regis.
Cum veris quoque ficta volant: iteratáque crebrò

Murmura ſe impediunt: refluúſque eliditur aër.
Tum verò Eclipſes quoque multiplicantur; & audent
Iam duplicem Solem, & geminas oſtendere Thebas.
Diverſas facies, diverſis icta videres
Pectora verberibus. variat miratio geſtus.
Hæc ſcabit ungue caput: digitis hæc perforat aurem.
Iſta metum ſimulat. tunicam quatit illa recinctam.
Hæc pede pulſat humum: verba hæc ad ſingula nutat.
Et modò ſubridet tenerè; modò molliter hiſcit.
Tentatur crinalis acus, num vertice fixa
Hæreat. incomptos ſolvúntque ligántque capillos:
Et plangunt plaudúntque ſimul, gaudéntq; gemúntq;
20. Harum unam ut cupidam rerum bibulámque novarum
(Caia vocabatur, numerans Trieteridas octo:)
Triſtibus implevit curis temerarius error:
Irrupit clamore domum; abjectóque quaſillo,
O Domina! *ecquidnā*? gemitum alto à pectore ducens
Complorat, tremulæque impellunt lumina guttæ.
Dice: quid audiſti? procumbit, & ultima queſta eſt.
Surge. quid audiſti? cum femineo ululatu,
Nullæ jam, nullæ ſumus (atque audita renarrat)
Blanca, ſumus nullæ. lugubria ſumere tempus
Admonet, atratóque obnubere corpus amictu.
Ergo quid audiſti? toto volat una foro vox:
Imminet exitium cunctis. lux ultima rerum.
Occidimus. miſeram! cur vincla jugalia novi?
Annulus eſt fruſtra datus: & ſolemnia verba
In ventum ſpargent, aut jam ſparſere procellæ.
Mater ego fieri formoſâ prole volebam.
Virgo mori cogar. ceſſant mea gaudia, ceſſant:
Cunctáque in Eclipſin (ſed monſtri neſcio, quid ſit;)
Haud aliter, quàm ſi in foveam ſperata reſidant.
Blanca timore levat, placidéque exercet herile
Imperium, & curas ſolando abſtergit inanes.
21. Hem! quàm virginitas noſtris eſt cara Puellis!
Caia ſuum metuit decus intemerata ſub umbras

Fer-

Ferte, mori mallet prærepto læſa pudore.
Diſplicet Integritas nullos experta maritos?
Extingui violata minùs matrona doleret.
Talia in Europa? cœli regionibus illis,
Quas natura loci moderato frigore ſepſit,
Grátaque temperies, nec tantæ obnoxia flammæ.
Quid facient *Cafra*, quid toſta caloribus Inda:
Teutonicas ſi non defendit bruma puellas.
22. Invaluit crudele malum. Timor omnia paſſim
Diſcerpit: volitántque nigris phantaſmata pennis.
Implentur tetrici ſaltus; implentur & urbes.
In celebri cenſebat enim lymphatus *aruſpex*
Lympharum (inſpector, debebam dicere) poſt v[illegible]
Exactum, media fontes æſtate tegendos:
Non expectandas Septembres eſſe pruinas.
Ne *puteal Blaſij* miſſo lictore citaret,
Quos penès eſt civilis aquæ liquidiſsima cura,
Nam quid ſi incideret fungus de lampade Phœbi
Emuncta! vitium traheret communis aquæ vis.
Protinus hauſta lues in cives ſerperet omneis.
Hercule, & *Auguſto* frendentibus atque *nepote*
Atlantis: quaſi non Ipſorum cura tuendis
Sufficiat puteis, largéque fluentibus undis.
Quæ præfeciſſent Ædiles numina; ſcirent
Non conſtare luto vel ſtramine, verùm orichalco.
His adeò cauſis acta eſt ſententia retrò.
Fontibus, & liquidis manſit ſua gratia Nymphis;
Vt non incluſæ fluerent firmata facultas,
Derivare palàm conchis lucentibus undas.
23. Illum ego Textorem Gallum probo, nulla morantem
Sidera: non Lunæ, Solíſque immane cadaver.
Teſtebatur enim longævi pectinis uſu: (teis?
Quid curem Aſtrologos, metuámue obſcura minan-
Eclipſis mihi nulla nova eſt. toto abditus anno
Semper poſsideo mea *ſubterranea regna.*
In quæ non memini penetrare crepuſcula Phœbi:

Tranſverſos dum moto pedes, trajectáque noſtris
Percurrit manibus cum ſtamine cymbula tramam.
In tenebris æquè ſapiet fumoſa lagena.
Aſtris ſi radios vacat & ſua rumpere fila:
Non vacat hoc nobis. *ſtudeo pertexere telam.*
Talia verba loqui nunquam ſine Pallade poſſet.
Tales verrucas, tu gemmas dixeris eſſe.
24. Quod jam narrabo, prope mœnia divitis VLMAE
Contigit: atque alijs potuit contingere fabris.
Iuſſus pro functo *Titus* ædificare recentem
Sandapilam: quid jam pheretris opus, inquit, acernis,
Funera laturis? tamen omnes credimur intra
Haud multos Menſes (ſupremus, ut audio, præſto eſt)
Ceſpite communi, cœlóque ruente tegendi.
Sparſa fuit vox hæc, totámque vagata per urbem.
Mirè Præcones exercuit *Æmilianos.*
(Rectiùs, appelles fortaſsis papiliones.)
Hinc aliquis meritò contempſit inutile ligni
Officium, nullóque volens ſub marmore condi:
Quid modicam Tumuli glebam curamus? inanes
Nil moror inferias. non parua caverna, ſed ingens
Orbis fractus erit mihi nobile *Mauſoleum.*
Pompeius cœlo tegitur, ſi non habet urnam.
Dij me! quàm grandeis ſubitò facit ultimus horror,
Et ſtimulans ærumna Sophos! Quo tempore vires
Deficiunt; redeunt animi præſentiùs ad ſe,
Exſultántque alacres. abigit timor ipſe timorem:
Atque inter metuenda metus diſcrimina ceſſat,
Inſultátque malis. en, quidam oracula plenis
Faucibus eructant. Senecas, magnóſque Catones
Libertate pares, & Stoica Fata loquuntur.
Teſtor: adhuc verum eſt; ſub mortem plus ſapere o-
Quàm cùm ſana ſuo decurrit tramite vita. (mneis,
25. Non tamen hic cunctis rigor & conſtantia. Multos
Efficiunt inopina mali ſimulacra futuri
Exangues, fœdum in morem; ridendáque ſuadent.
Parva quidem; ſed & hæc non prætereunda putamus.

Qui-

Quidam ſollicitus, ne perderet atra columbas
Colluvies tenebrarum, aut lucis rima malignæ;
Tranſtulit. Eclipſin *Martes* prævenit, & ova
Diripiens, omneis ſtomacho ſepelivit eodem.
Plorabat juvenis: nimirum veriùs *Afro*;
Cujus heri conjux animam projecit anilem;
Immodicè lætatur enim. celare laborat:
Sed lacrymas inter riſum vix ore coërcet.
Ac meritò lætus: neque enim *ſine felle* columba
Hæc rapta eſt; plenos atra quæ bile culullos
Sæpius in faciem diffudit amara mariti.
Neſcio, qui fiat! Doctis plerumque viris ſors
Terribiles obtrudit anus, ſociátque jugatas,
Socratici ſi ſunt multi; totidem Xantippæ
Et numero, rugíſque pares, matuláque dabuntur.
Hic ille Aſtronomus, famâ notiſsimus Afer;
Qui luſtrans cœlum, *Erigonem* optárat habere:
In Terris reperit furiam, duxítque Megæram,
Adverſis fatis, infauſto Flamine junctam;
Oſcula Tartareo dignam præbere Luperco.
Nunc liber ſua colla jugo ſubtraxit: & altùm
Reſpirans Parcas (magis hanc, quæ ſtamina rupit)
Ture, mero, violis, vultum inclinatus, adorat.
16. O ſi aliqua Eclipſis ſaltem Lunaris adeſſet,
Femineum in ſexum vireis habitura! vel ô ſi
Suſpenſo paſſu Martes(*Mors*, dico) rediret
Ad nidum thalami; quo nupta Terentia dormit
Mollibus in plumis: *Malecontentóque* Columbam
Auferret de nocte ſuam. ſic cara vocatur
Vxor Achæmenio digniſsima nubere Regi:
Immò Iovi, qui poſt Neptunum temperat orbem.
O ſi, inquam, ſimilis Martes laruata veniret:
Inque fretum Scyllæ portaret amabile funus!
(Mors cancri, & talis Nuptæ, pulcerrima longè eſt.)
Quas Malecontentus jacturâ conjugis hujus
Ditior, & viduus gratiſsima damna lucratus,
Quas ageret grates! *Bene* jam *contentus* haberet!

Quæ non in Templis ſupplex monumenta locaret!
Candelam; poſſet quæ *malus* navibus eſſe,
Pluribus antennis ac velis apta ferendis.
Aurato ex limo ſtatuam, Rhodiúmque Coloſſum.
Quis MALECONTENTVS, meliùs ſciet ipſe maritus:
TAVGVSAE nobis vultu ſeptemplice queſtus,
(Tot miſeranda modis variaverat ora,) geménſque:
Obſecro, quid feci ſaccum ducturus inanem,
Pertuſum, ſemper ſiccum, ſempérque madentem!
Ah, ubi tunc fueram? quæ me ſubvertit Enyo?
Hymen, ah! Hymenæe, Hymen. Hymen ah! Hymenæe!
Vincla tenent corpus Iunonia: libera Mens eſt.
O quæ me Eclipſes tam dura compede ſolvant!
Cùm morbum patiere tuum, mala tubera vultûs;
Devoveo tibi, Luna, meam: (non dicere noſtram
Auſus Dilectam) ſuccurrat, & æra fatiget.
Hymens ah! Hymenæe Hymen, Hymen ah! Hymenæe!
Noctes atque dies miſeranda hæc nænia durat.
Teda ſtat econtra. ſed nil niſi jurgia, lites,
Et fumum, & curas, & cæcum ventilat ignem.

PARS III.

Complexa propiùs accedentia ad Eclipſin.

27 SEd jam paullatim ſpacijs propioribus horror
Ingruit: augetúrque metus, qui ſecula terret.
Væ, Væ, Væ in Terris habitantibus! atq; iterum Væ!
Donec tranſierint Væ ſeptem, cum phialis tot

San-

Sanguinea impletis ira, vinóque fureris.
Iam Menſis præcurſor adeſt ſuccinctus, & ardens
Iulius AVGVSTVM fatalem pollice monſtrat.
Cui ſeritur, vel cui metitur? tamen horrea & ipſos
Meſſores cum frumento rapiet brevis hora.
O fortunati nimium, ſua ſi bona nôrint,
Agricolæ: Veteres monuit vox grata colonos.
Altera perſonuit: mutata eſt ecloga leſſo.
O infelices nimium, ſua ſi mala nôſſent,
Agricolæ. fruſtra ſudant, fruſtráque laborant.
Argolus occentat: *Veteres migrate coloni.*
Saturnus falcem veſtris præbebit ariſtis.
Mars ſternet ſegetes, convectabitque maniplos.
Humano pingues rorabunt ſanguine ſpicæ.
Omnia vaſtabit properans Eclipſis, & uret.
28. Hoc demum pagos, villáſque & rura tremore
Perculit. albenti procedit THESTILIS ore,
Paſtoris lippi conjunx *Mopsúſque* maritus
Aſsiduò repetit ventura ſub arbore ſecum,
Prædictáſque minas divinæ ruminat iræ.
Quô te *Mæri*, pedes? dulciſsime mi *Melibœe*,
Ad plureis: immò, niſi diſsimulamus, ad omneis.
Ecquid enim? neſcis pecorum formoſe Magiſter?
Supremæ luces paucæ reſtare feruntur:
Quando immanè crepans totus deſcendet Olympus
In vallem tenebrarum, & fractus concidet Æther.
Extinctus linquet ſine luce Dieſpiter orbem.
Hoc noſter præco; pullata hoc ſidera clamant.
Et jam ſe accingunt ad Solis funus humandum.
Ad nos ſi nunquam rediturus deficiat Sol:
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine viteis.
Cui tamen ex illis fructum guſtare licebit?
Vltima ſi admota eſt perituris linea rebus.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac, viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.
29. Quod ſtupeas, multi, non balba nare, ſagaces,

Atque etiam magnæ Mentes terroribus iſtis
Submiſere genu tremulum. nam cura futuri
Angit ſollicitos. Alibi fert Fama coactum
Concilium, atque habitum ſine more fuiſſe Senatum.
Convenere Patres, (famoſam intravimus urbem:)
Lucas Eumolpus, lepido cum Conſule *Crantor*:
Crantoris affinis *Papagas*, & Bojus *Acarnan*,
Temeti ac ceræ dives: lanióque diſertus
Arceſilas, olim prætoris munere functus,
Gaſparis Herlicij gener, orti ſtirpe Davidis
Herlicij: inſpexit quo nemo ſagaciùs aſtra,
Et curſus illorum, & quæ ſignantur ab illis.
Tum *Marcus Bonzon*, & *Sturmio* tempora canus;
Piſtores ambo. poſtremò acceſsit omaſo
Diſtenti *Aufidij* venter, gracilisque *Mariſcus*:
Et gibbus *Ruckeri*, & ruffi barba *Philippi*.
Atque alij, in pretio quorum vel tuſsis habetur.
Olli ſederunt. Conſul tunc farier infit.
Imminet Eclipſis, qua non fuit ulla per ævum
Formidabilior. pecudum nocitura putatur
Atque hominum generi. quia creditur ultima Mundi
Everſura ſtatum. Qui vos hac nocte geratis;
Qui veſtri cives; jam nunc decernite Patres:
Ne detrimentum capiat Reſpublica *
Olli mutârunt voltus, vicibúſque ſeveros
Contorſere oculos. poſtquam eſt data copia fandi,
Incipit AUFIDIUS (præ abdomine reſpiravit
Primùm, & ſic pinguem ſermonem exorſus anhelat.)
O ſocij, ô Cives: agitur res ſeria valdè,
Et non de medio Iano, trivióque petita.
In conſanguineam Sol pugnam & Luna feruntur.
Victorem optamus fratrem: quia ſic quoque noſtrâ
Refert: & verò Mundi totius; aprico
Communem lucis Dominum clarere triumpho,
Aſtrologi ſed enim ſagi contraria dicunt.
Luna Soror meretrix, (ſcimus Paſtoris amores)
Nunc etiam geminis furtim ſubnixa Planetis

Aggreditur ſolem. quòd ſi proſtraverit illum;
Prævideo: petitur jugulus per vulnera noſter.
Devicto quoque fruſta cadent immania Phœbo;
Scilicet in noſtrum caput; obtritíque ruinâ,
Mactatíque erimus Sic ergo cenſeo, Quiſque
Ex nobis ſibi proſpiciat de caſside firma.
Se poterunt inopes ſaltem cudone tueri.
Cenſuit ARCESILAS: cùm bobus Luna vehatur,
Vt ſolem incurſet clementiùs, atque recedat
A ſphæra ſolito citiùs, ponátque tumultum:
Quatuor inſigneis donandos eſſe juvencos.
(Ede tamen: per quem mittes tam nobile donum?)
Non opus hoc ſumptu, BONZON moderatior inquit.
(Craſſus & hic, multo ſomno indulgere ſolebat.)
Nil Eclipſis obeſt. quid nox duplicata nocebit?
An non Alcides talem conceptus habebat?
Tanto ſomnus erit productior, atque cubanti
Suavior: (& tantò fiet glis pinguior albus.)
Invideat quiſquam lenimen dulce laborum!
Fiat conſultum. lecto conſurgere nullus
Temporis hoc puncto, vel verrere, vel coquere auſit,
Nemo extra ſupráque domum conſiſtere. nido
Quiſque ſuo tectus maneat: (ſapienter, *ut octo*)
Sicque ſuo ſoli curſus Lunæque relinquat.
Ecquis enim nos conſtituit procul ætheris altì
Obſervatores? Pauca interfatus ACARNAN:
Ede tamen; ſi nemo foras exire ſinetur;
Quis volucrum nubem capiet toto axe caducam?
Dejicientur enim turmatim ex æthere lapſæ.
An permittemus putreſcere, quæ probat uſus
Fercula grata, gulam mulcentia, paſcere ventrem?
Nempe coturnices, quas detulit humidus Auſter
In Iudæorum caſtra & tentoria, pigræ
Neglexere Tribus! puer unus mille trecentas
Ceperat. aſt alij tot corripuere catervas:
Vt ſoiæ vaſtos exuto corpore montes
Æquarent plumæ. PAPAGAS ſubriſit, & ore

For-

Formato ad ſonitum, dat qualem inflata Camœna;
Significánſque manu; num fiſtula, vin, tibi ludens
Auxeſin demonſtret? ait. ſine, Tityrus inflet.
Nam graviore ſono dare nos reſponſa monemur.
Inſtar montis equum vidit Trojana juventus.
Inſtar montis aves, quæro,, quis viderit unquam
Congeſtas? ſed enim facile eſt, attollere plumas
In cœlum levitate ſua. nunc mitto jocari.
An noſtram volumus peſtem legere atque vorare?
Prædico: magnum diſcrimen edentibus inſtat.
Dilacerabuntur ſtomachi, inteſtináque, & alvus.
Cenſeo boletos ClaudI minùs eſſe nocenteis.
Tunc cautum: (Lex lata fuit cenſoria) ne quis
Ex avibus, quas more nivis caligo rotabit
In terram; eſuriens aliquid ſibi ſumere tentet:
Quippe venenatis, & rore madentibus atro:
Quem Ditis paſcuntur equi per prata ſoluti.
Addidit Eumolpus, vir conſultiſsimus; almo
Sidere corrupto, ſimul inferiora neceſſe eſt
Corrumpi. attractus naſo vitiabitur aër.
Terra quoque, & Pontus. Tetrum ergo afflabit odorē
Putre ſolum: putréſque lacus fætore maligno
Fumabunt. igitur capitalis tempore pugnæ,
Quo Sol andabata eſt, & luridus; ardua pinus
In medio pinguiſque Foro ſtatuenda videtur
In Tedam, piceis lentáque intexta reſina
Vndique ſuccenſis diffundat aromata ramis.
Ignis odoratus pollutas corriget auras.
Sic avertemus maculantem corpora tabem.
Omnibus auditis Lepidus ſurrexit, & ore
Verba gravi faciens Romano Conſule digna:
Neſcitis quidquam: neque veſtrûm cogitat ullus
Quod bene vortat, ait, noſtriſque ſit utile rebus.
Naturam oppugnes fruſtra. permittite curſum
Sideribus, ſed enim ne pernicioſa nocere,
Néve inferre luem; neu Mors irrumpere poſsit,

Cal-

Callida per tenebras, nobis torpentibus, uti
Fortuna & furtis; cumulétque occaſio damna;
Claudamus portas, cœli dum prælia fervent,
Vectibus atque ſeris munitas : oppoſitiſque
Quatuor armatis cuſtodibus excludamus
Omneis inſidias (*ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes*? credo; *Bitias & Pandarus ingens
Si ad portam ſtarent Idæo Alcanore creti,
Abietibus Iuvenes patrijs & montibus aqui* :
Forſitan excubias taleis Mors cœca timeret.)
  Aſſenſum tamen eſt,& itum in ſuffragia plura.
Poſt ea diſceſſum. Salve Bœotia, ſalve.
Quis dubitet, Scauros hoc conſediſſe Senatu?
Et Brutos, Fabióſque, oratoréſque Metellos?
Hoc demum ſapere eſt! *Horum prudentia monſtrat
Summos poſſe viros. & magna exempla daturos,
Vervecum ex patria, craſsóque ſub aëre naſci.*
  30. Quò magis increvit rumor, propioráque venıū
Tempora : laxatis formido major habenis
Per plateas equitare, animóſque invadere pergit.
Iámque etiam revolans extendit Epiſtola pennas;
Dulcis Amice vale : Pylades ſcribebat Oreſti.
(Si tamen eſt ullus Pylades modò, & ullus Oreſtes.)
Euryalus Niſo, nugas contemneret iſtas
Pirithous: quanquam dilexit Theſea multùm;
Talia non ſcripturus erat vel limine in ipſo
Eumenidum intrepidus. nec te Proſerpina curet.
  Scilicet iſte metus percellere mollia corda
Femineúmque Genus. ſcripſit *Regina Tereſa*;
Lucia Cacilia; *Trompetta Marina Roſetta*.
(Gallinæ Vulpes,& Goffoniſba Sciuro,
Simia Caſſandræ.) magna exſpectatio rerum.
Vrget opus : niſi quod tenuit phanaticus error
Captivas omneis. tamen eſt laudanda voluntas
Supremi officij. quid enim præſtare poteſt plus
Hoc puncto Pietas mortem opperientibus ipſam?
Omnes oderunt fugiúntque volatile telum,

Quod

Quod ſemel infixum *ſanguiſque animuſque ſequuntur*
Vna eàdemque via : quia neſcit vita reverti

31. Non ſatis eſt chartam linere, aut perarare ta-
Vana reportanteis pavidæ ſolatia menti. (bellas
Conjungunt luctus, & fletibus ora madeſcunt.
Altera in alterius caris complexibus hæret.
Exſequias peragi credas; dacique ſtolata
Pergama trans Ithacam, patriam crudelis Vlyſſei.
Tot plorant Hecubæ, tolerandáque Fata queruntur
Andromachæ. Eclipſis ſternit ventura paventeis.
Troia, vale, rapimur. clamant. dant oſcula terræ
Troades: *& patriæ fumantia tecta relinquunt.*
Noſtrarum Iliadum lugentûm talis imago;
Ajax, illarum, Mars eſt; Saturnus *Achilles*.

Supremum ſeſe viſuræ munera mittunt,
Pignora amicitiæ. thecis renovantur eburnis
Balſama, cinnamei rores, atque unguina coſti,
Mittunt cum monitis: quàm felix uſus in illis.
Imbuitur naſus, contactáque tempora fragrant.
Lactea faſciculus Myrrhæ circùm ubera ſerpit.
In digitis ardent gemmæ ſudare vetantes.
(Sudor in Eclipſi cenſetur noxius eſſe.)
Cera ſalutaris, multaque aſpergine ſacra,
Cum caſiæque libris accenditur Indica radix
In carbone rubens *Goſſliza*, ac ſuaviter halans.
Antidotum contra tenebras, an lumina Solis?
Hactenus audita eſt nunquam hæc Medicina, vel ulli
Applicita. an *quodvis* pro *quovis* utile cenſent!

32. *Provehimur portu* Mentéſque Animíque recedunt
Inſtante Eclipſi. Tunc nos AMBERGA tenebat
Montibus incinctos medijs: ubi *Vilſia* ferrum
Trudit, & ignavo lenteſcens gurgit ſerpit.
Vſque adeò, ingenteis ut vaſta mole carinas
Multa vi quamvis vini, ſalis, æris onuſtas
Exiguo modicæ tergo ferat improbus undæ:
Quas vix dorſo aſinus veſter majore marinus;
Et ſi quos inter numerat mare monſtra camelos.

Flu-

Fluminis hic mos eſt; hæc ſunt compendia pigri.
Haud itidem ignavæ Fluvij ſunt Naiades hujus.
Vilſiacis Nymphis nihil eſt præſtantius. illas
Commendant labor, & felix induſtria ſoléſque
Ingenium, & dulcis probitas, & gratia fandi,
Et lepor argutus, caſtæque modeſtia formæ.
Ingenuúſque pudor, ſtudiúmque immane lavandi.
Sunt ibi *Reginæ, Genovefæ, ſunt Catharinæ,*
Eugeniæ plus quàm CLARAE, ſuper omnia SARAE.
33. Ex harum coetu, pectus percuſſa decorum,
Accesſit fidens FRANCISCA VENINIA Saram,
Magnanimam in paucis. (Dij longa in ſecula ſervent.
Vivit adhuc, annóſque ſuos virtutibus implet.)
Tum ſic affata eſt confuſo flebilis ore.
SARA, decus noſtri fulgens & gloria ſexûs:
Quid patimur? quæ fama volat totámque per Vrbem
Diditur? audimus digna atque indigna relatu.
Quæ ſpes, aut noſtris affigitur anhora votis?
Somnia ſint utinam. Sed habent & ſomnia pondus
Sæpe ſuum: & rumor vigilantem illapſus in aurem eſt.
ARGOLVS, atque alij, quibus eſt in amore tueri
Sidera, & ex alto præſagia ducere cœlo;
Excidium nobis, ſupremáque fata minantur.
Quippe obſcurato lucis Patre, corruet Orbis
Cæcus, & oppreſſas feriet quæcunque ruina.
Nos miſeras! in quæ *Divum pater atque hominũ Rex*
Imbellem ac pavidum ſervâſti tempora ſexum!
Adde & prægnantem. maturum ventre tenetur
Pignus. ſi pereo: gemini moriemur in una.
O Dilecta juva, méque his, precor, exime curis.
SARA mares animos jam dudum & Amazone di-
Exertans: quæ, cara, Soror, formido ligavit (gnos
Pectora? cur ſubitus pallor ſubrepſit in ora?
Pelle ſupervacuos & inanes corde timores.
Augurium Mens ægra ſibi non utile præſtat.
Non tantùm ſua quemque trahit vitioſa voluptas:

Sed

Sed dubijs etiam cognatus mentibus angor.
Nec raro patimur mala, quæ nos fingimus ipſæ.
Argolus, Hiebnerus, non fauſto ſidere nati,
Omnéſque Aſtrologi certè tanti mihi non ſunt,
Vt curare velim, vel formidare minaces.
Vrbs Atellanas fabellas *Norica* vendit :
Æſopíſque ſuis aurum emulgere laborat.
Qualiacunque velint, VVervæi fulmina cudant :
Contemnit nugas humileis ſubnixa Deo Mens.
Haud teneor faſtis. ego me ratione guberno.
Si recolis, ſcriptum eſt: *ſapiens dominabitur aſtris.*
Vt ſi Luna ſuper lacerum cadat improba Solem;
Márſque ſuper Lunam, media in vertigine Mundi
Cras hilaris, Mecaſtor, ero ; & geniale parabo
Convivis epulum. vivant, qui vivere malunt.
Delectat quos ante diem deſcendere ad umbras:
Hos jubeo vitare meæ conſortia menſæ.
Parce metu, FRANCISCA Soror: te ad gaudia primã
Invito. veniat tecum Regina : nurúſque
Euphroſyne, & dulcis Chriſtina, & Barbara neptis.
Ante omnes *Bibiana*, ejúſque *Merantia* Mater
Invitatæ aderunt : & *Chia* & *Lesbia* nutrix.
Promiſere etiam *Tardanda*, *Orloſia* Batti,
Antliáque, & magnæ genitrix *Geleona Fregatta.*
Lenæo tetricas mergemus in æquore curas.
34. Interea creſcente metu, quà Rhenus & Iſter
Concuſſere ſuas, Patriæ vaga flumina, ripas :
Turribus intremuit totis Alemanna Cybelle,
Tandem facta Deo ſupplex : ponénſque coronas,
Verrit humum muris crinalibus, & ſua deflet
Crimina ; magnanimos luctus clamore profeſſa
Æſtuat, & capitis procùl abijcit ornamentum.
Ergo cum gemitu, lacrymíſque ex corde profuſis,
Turba virûm matrúmque ſimul, juvenúmque ſenúmq;
Irruere in ſacras Ædes : pulſare tribunal
Iudicis ; hirſutum proſternere corpus; opúmque

Cla-

Clavibus abjectis, ad PETRI currere CLAVES.
Excutere Annales vitæ: commiſſa fateri.
Faſtidire dapes vetitas, licitíſque carere.
Expaſsis manibus diſtendi: figere terris
Oſcula: contortis tergum ſulcare flagellis.
Quódque fidem ſuperat, quod nec ſibi ſomnia fingant;
Tandem, ventoſi quam nulla pericula Ponti,
Nulláque naufragijs infamia ſaxa coërcent,
Territa portentis, media in prurigine lucri
Hæſit avarities: & amor ſceleratus habendi
Sprevit divitias, in dandi verſus amorem.
Autolyci fures, & queis fœnebria cordi.
Reddiderunt ablata dolo. poſuítque nocenteis
Ambitio chelas, turgénsque ſuperbia criſtas.
Chartáque ludificans, levis alea, cúmque fritillis
Taxilli, in medijs crepuerunt omnia flammis.
Tunc vindicta nocens immis expulſa medullis
Ceſsit, & in mitem ſubito leo tranſijt agnum.
Crederet hoc quiſquam? tunc immetata libido
Ipſa ſibi metas poſuit; frenúmque momordit
Infrenatus Amor. caſti velamina ſomni
Pluribus in Thalamis iterum ſuſpenſa fuerunt.
Quas in adulterijs prenſas, ſub fornice ſtanteis
Oblita flagitijs ornabant tegmina; nigris
Vidimus in ſaccis triſteis horrere puellas.

35. *Vnde autem hoc mónſtrum eſt, & quare cernimus iſtud!*

Omnipotens, ſolus Dominus, *Deus ille Deorum,*
Servari ſua juſſa jubet, mandatáque mandat:
Intentátque minas frangenti. Nemo movetur.
Increpat Aſtrologus mendax, & vanus, & exlex:
Conjectátque minas ex æthere. creditur illi,
Vel tali: atque omnes gelida formidine torpent.
Iſta videt Numen, ſecúmque exquirit, & ultrà
Progreditur. Sanctis adeò vim ponderis addit
Legibus: & mortem, tormentáque dira minatur
Fœdifrago; quæ nec vidit fabricata Perillus,

Nec

Nec fabricare poteſt: Phalaríſque exhorreat ipſe.
Sed nihil evincit. ſaliunt ex pulvere ficti
Terrigenæ; ſicut ſaliunt in gurgite ranæ
Clamoſæ, & fœdis diſtendunt litibus ora:
Tanquam ſit truncus ſpatiata ciconia circùm,
Nido eſcam quærens. Lycios nihil illa colonos
Sic ingreſſa movet. ſed nec Latona movebat.
Quamvis *ſint ſub aqua, ſub aqua maledicere tentant.*
Vnde autem hoc monſtrum. Deus ultrà tendit, &
Ne tantum credas ſpatiari in cardine cœli, (ultor
Immemorem noſtri, degentémque otia; coràm
Adventûs dat ſigna ſui: per carmina Vatum
Sollicitat, *precibúſque minas regaliter addit.*
Non extinguendos Erebi ſuperingerit igneis;
Infernóque lacum fumantem ſulphure, & angues;
Vermem immortalem: nec non canis ora trifaucis;
Adijcit & *fletum*, & *ſtridenteis* frigore *dente*.
Hæc oculis quoniam non ſubijciuntur; in auras
Difflantur. periere minæ: periere tenebræ,
Plùs quàm Cimmeriæ. neque nox Ægyptia terret.

Vnde autem hoc monſtrum. cur, non, ait, ingero flam-
Ardenteis oculis? animos præſentia tangunt. (mas
Ergo quatit nubes, & rauca tonitrua miſcet
Fulminibus, pluviáque rubra, cuneíſque triſulcis
Mox evaneſcunt. licêt hinc exæſtuet Aetna;
Illic cocta vomens jaculetur ſaxa Veſevus.
Talia Parthenope, quamvis ad ſidera ductos
Quippe aſſueta, rogos mirari deſijt olim,
Hinc illi mores: hinc & cum morte paciſci
Audet, & in ſeram differre piacula noctem.
Inſolitum ſi quid videatur in aëre. Si quis
Bruta Mathematico deducat fulmina cœlo
In pelvim, & fatuos monſtret novus Argolus igneis;
Continuò terror currit glaciata per oſſa.
Continuò flentes procumbunt omnibus aris:
Thuricremáſque faces ponunt funalibus altis
Per Templum; croceóque intexunt æthera fumo.

Vnde

Vnde autem hoc monſtrum ! quæ tanti cauſſa furoris?
Quæ ; niſi Naturæ vitiatæ in traduce fomes,
Et furor, & rabies, & libertatis abuſus !
Inde animi caligo Deum temnentis. & hæc eſt
Humanæ Eclipſis damnoſa ac maxuma Mentis.

PARS IV.

Proponens diem Criticum,

Sive Ipſam Eclipſin.

56 IAmque Dies aderat, Fatis voluentibus, omneis
Extinctura dies : *fecítque ſilentia terror.*
Qualia nec Fano ſervata Serapidis alto.
Nemo ſalutavit genitricem Memnonis, ortum
Auroræ. Turres quoque conticuere ſupinæ.
Non tuba directi, non æris cornua flexi
Vlla ſonant. veluti mos eſt, cùm fortè timetur
Proditio, & Patriæ muros ferus obſidet hoſtis.
Acſi juſtitium foret à Prætore Togatis
Civibus indictum. *fecítque ſilentia terror* :
Tanquam ſi Cereris ſacrum indixiſſet Eleuſis.
Multis nocturno manavit tempore ſudor
Salſus, & in lecto, ſicut jacuere pheretro.
Quæſivere etiam funebria lintea multi.
Vmbras dixiſſes : *fecítque ſilentia terror.*
Intrâſsit ceu cluſa Bonæ *Sacer*-Antra Deæ-*des.*
Nullæ operæ auditæ : nulli per compita currus,
Mercis inane forum : non verna ancilláve viſi,
Non canis in plateis. *fecítque ſilentia terror.*
Acſi jam Peſtis, medios nigrantibus alis
Per vicos ſtridens, manibus ſignata feriret
Oſtia. præ foribus quæſita ad ſtraminis orbem
Vectantur plenis tunc denſa cadavera plauſtris.
Non niſi feralem gemitum veſtita rotarum

Curta-

Curvatura nigro panno plangentibus edit.
Servantur jumenta domi: natáſque nurúsque
Et pecus & dominos communis caula recepit.
Quæ, precor, hæc vita eſt! viſæ vaſtiſſima cunctæ
Mandra domus: urbiſque ſtatus referebat eremum.
Qualis erat Ninive poſt naufraga pulpita Ionæ.
Conſertis manibus, proclives ſtare putâſſes
Marcida Iudæos memores ad Sabbata Verpos.
Cum laribus frigere Foci; temereque jacentis
Heſterni cineris ſine flamma ſtertere carbo.
Nemo pulmentum coxit: Matréſque repertæ,
Quæ detrectabant proprijs infantibus uber
Porgere. rebantur, nil tunc, niſi triſte venenum
Reddere maternas etiam, pro lacte, mamillas.
Quid? quòd ne parerent, gravidæ timuere: gravatas
Quamvis urgerent decimi faſtidia menſis.
Optabant potiùs ventrem atque incommoda ferre.
Non niſi ſtrumoſum credentes, acephalúmque,
Aut fore monſtrificum, infauſto quod viſcera nixu
Fudiſſent; Patri infantes Matríque timendos.
Toto iſto ſpatio nunquam Lucina vocata eſt.
An tunc gallinas Eclipſi exterrita vulpes,
An pavidus mures catus interceperit ullos:
Noſtri Grammatici, noſtri, inquam, in verba ruentes
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.
37. In quandam perhibent *ſex* divertiſſe Tabernam
Pontibus innixam Iuvenes. & novimus unum
Narrantem nobis. mirari caupo bibenteis.
Potum averſari; (nam propinaverat unus)
Audáxque Iapeti totum genus. ut quid enim jam
Has fæces! *Potes hoc ſub caſu ducere ſomnum*
Aut calicem! & virus Stygiæ damnavit Echidnæ.
Omnia in obſcænum verti modò vina cruorem
Argutans. clamavit iô, jucundior alter.
Talia dent utinam ſemper mihi toxica Divi.
Antidotum in promptu eſt· Meus omnia & omnia venter.

Di-

Digerit: & ſucci quò plùs affuderis hujus,
Plus ſitio. hoc dulci morbo delector, & uror.
Solibus his! dubitabis? his ipſis Solibus, inquit.
Nónne vides, nobis nihil hæc aconita nocere?
(Cæcuba) cur infuſa tibi, dic, ergo nocerent?
Eja age, conceptos animo diſpunge pavores.
Dixit, perſuaſit. caupo exhilaratus adire:
Diſcuſſóque metu ſecuræ accumbere Menſæ.
Principio timidè: mox plenum haurire deuncem
Mox mage: mox magis atque magis: tandémque renidens
Eclipſin madidam dulci ſopire Lyæo.
Hinc igitur gratum ſeſe exhibiturus amicis,
Symbola donavit: contractum æs diruit omne,
Lætitiæ dives. ſic amens mortuus olim
In ſpeciem, è vivis quem Phantaſus exturbârat.
Poſtquam alios Maneis, ſimulatáque funera vidit:
Contrectare cibos; guſtatis auſus & ipſe
Veſcier, excuſsit morbum, & deliria mentis.
38. Iam credi poterat metuendæ NONA Diei
Hora rotam moviſſe ſuam, ſi ſigna darentur,
Et niſi lex tacitas paſsim inſtaurâſſet Amyclas:
Quas torpore graveis conſtat periiſſe *Silendo*.
Scilicet hanc *Criticam* Vates prædixerat *Horam*.
Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.
Rebus enim cunctis nox auferet atra colorem.
Sed tunc Æneas paucos Germania vidit.
Neſcia Mens hominum ſeu rebus firma ſecundis,
Seu duris ſervare modum. nimis ebria lætis
Luxuriat: Fatis eadem deſperat iniquis.
Multorum cecidere animi, ceu Gorgone viſâ:
Aut *Scribente Manu* TRIA VERBA in pariete, contrà
Cœnantem Regem Chaldæum. Ex omnibus unus
Dicitur impavidus quidam manſiſſe SVEVVS:
Hectoreus totus quantus: mera vita: *merum cor*,
In manibus, venæ pulſum, pedibúſque notâſſes,

In digitis atque articulis, in corpore toto.
Dixerat: *heic ſtamus.* Veniat Saturnus, & ipſe
Turnus, & Aeacides; Sol, Luna; ineántque duellum.
Intremuere alij. commota ut in arbore rami,
Ramorúmque comæ, quas coucutit horridus Auſter.
39. At nos poſt offam ſaturi, & coliphia fortes,
Quanquam tempeſtas fuerat dubitabilis æthræ;
Molimur cryptam. Spacium dedit area latè
Sub Dio. heic ſculptis picturatíſque lacunar
Exſtruitur tabulis: tenebráſque inducimus arte
Vnicum in obſcuro, ſed & hoc exile foramen,
Quo tranſmittuntur Viſûs ſimulacra, relictum eſt.
Hoc quoque cryſtallus Venatrix lucida texit,
Fuſilibus formis introrſum aptata vehendis.
Adſunt *Muſſardus*, *Coſmas*, *Albertus*, & *Vrſus*,
Et *Baslach Barſan*, *Stephanúſque* & *Parthenopœus*;
Cúmque *Phaſone Moraps.* Huic addictiſsimus Arti
Parthenopoeus erat, juvenes lepidiſsimus inter
Boiugenas: ubi flaventeis fert dives arenas
Iſara, & excelſum ſuſtollit ad æthera conum:
Venerat & Medicus famâ celeberrimus Allgo;
Suſpenſo pede, ceu caſtris elapſus Achivis,
Et cum nocturno Xanthum bibiturus Vlyſſe.
Non tamen abſque omni formidine. nam peregrino
Munitus pomo citreum ſpargebat odorem:
Si fortè afflatu corrupta laceſſeret aura,
Eclipsíſque caput quateret, tutarier aptum.
Cum vitris Ludovicus adeſt (cantabat eundo)
Sudamus. nulli requies conceditur otî.
Defixis longos, quàm longa decempeda, fulcris
Impoſuere tubos; quibus exterebratur Olympus.
Optica Muſſardus, Muſſardi filius Ancî,
Inſtrumenra tulit, certóſque aptavit in uſus.
Clavius eſt Coſmæ: capit hunc, & ſæpe revoluit:
Cyſatúmque Moraps, Kircherum Albertus & Vrſus.
Adſtabat Baslach Barſan illotus & unctus,

Con-

Contemplabatur Sphæræ mirabile textum:
Quódque in ea poſſent numerarier aſtra, ſtupebat.
Feruet opus. mandant omnes: mandatáque nullus
Exequitur. *fer aquam?* tetuli; *in cratere rotundo*:
Factum eſt. *hoc bellè. Diſpone ſedilia circùm.*
Diſpoſui. *rectè.* Titanis imago reflexa
Spectari poterit. redhibebit lympha figuram
Vibrantem, geminas latam non ampliùs ulnas.

40. Ecce autem dum multa parant, dum plura parantur;
Intenditque ſuas ſpes *Exſpectatio longa*
Támque avidè intendit, quàm viſo præpete ceruo,
Turba canum coëunt, acuúntque in vulnera dentes:
Scindit ſe nubes; claróque Hyperione viſo:
Eclipſin totam jam præterijſſe, refertur.
Præterijt! clamo. procurrimus. ecce ſerena
Tempeſtas. Solis ludunt impunè jugales
Graminibus nitidis ſaturi; prælargáque ſumptæ
Naribus elatis teſtantes pabula flammæ.
Ecquis, iô, noſtrûm tenebras inſerpere ſenſit?
Non ego, non alij. livorem nemo notavit.
Quid ſtamus fatui? quid hiantem ad ſidera vultum
Tollimus, & pando vecordes hiſcimus ore?
Scilicet Eclipſin viſuri! jam ſatis uſque
Luſa fuit. *Phœbi Comœdia tota peracta eſt.*

41. Ite, licet. ſi quid placuit, potuítque placere;
Plaudite confeſtim. neque enim tam rara, recénſque
Fabula bis dabitur. meritos expromite nummos:
Iuſtum operæ pretium, pro mimo poſtulat æra
Argolvs exhibito, dignus mercede ſua vir.
Nam mirabilius nil cœna ac ſcena Thyeſtæ
Viderit, Argivis toties ſpectata theatris.
Iſtud enim verò eſt *longo ſuſpendere naſo:*
Ac ferruginea gentes deludere larva.
Vt Spectatores quondam deluſit hianteis
Roſcius in Scena. nam poſtquam dixit, *Avete*;
Cum reliquis ſimulans Actoribus, atque Chorago,

Per poſticum abijt; retrò quoque pinſere doctus
Ludibrium, populo in ſcamnis auláque relicto.
42. Aſtrologis toto Socij tunc ſplene litârunt.
Turbidus exoritur riſus, mœrórque pudórque.
Alternîſque jocis ſe per convicia vexant:
Vidiſti volucres cœlo, LUDOVICE, cadenteis?
Cur non cepiſti? prô quanta hæc turba malorum!
Quæ tenebræ! Superis grates. evaſimus Orcum.
VRSE, die exorto ſuccenſam extingue lucernam.
Tandem etiam inviſas licuit cognoſcere ſtellas:
Argo, Phœnicem, leporem, coruúmque gruémque.
Inſpicite in fontem. ſine ſole videbitis umbras.
Salpatum, & magni Lydorum Regis acutam
Effigiem, longis digitis utrinque micantem.
Vertimur ad Vatum præſagia. Vah, Petoſirin
Auſonium! tetigit rem ſcirpo. Vah, Polybuten
Teutonicum! ambobus poſthac muſcáſque volanteis
Præſtiterit, captáſque veru configere ranas.
O Davi! qui majores? nos, anne popellus!
Anne hi *Chreſtologi*! credo hi, nos atque popellus.
Credibile eſt ipſum toto quoque pectore Solem
Riſiſſe, atque ſuæ ſtolidos monſtrâſſe Sorori.
At ſaltem ludos Ælurus noſter agebat.
Forſitan Eclipſin tacitam perſenſerit ipſe.
Qualis ad aſpectum Lunæ confuſam elephantus
Fertur ridiculus molem dentéſque movere.
43. Quid ſi Democritus noſtra hac ætate rediſſet,
Maximus ille Lien, cujus ſuauiſsima vita,
Nil, niſi riſus, erat; quid diceret; illa & ora
Haud dubiùm quateret toto pulmone ſolutus.
Temporis acta ſui ridebat: gaudia vulgi
Vana: Neoptolemos auróque oſtróque rubenteis.
Ridebat textas aquilas in veſtibus albis:
Pictáque Sidonio vexilla volantia limbo:
In quibus ex auro ſimulati terga dracones
Spirabant: nec non & tintinnabula currûs
Laurigeri, & *trabeas*, ſervúmque curulibus altis

Cum Domino extantem, & ſilveſtria nomina, *Faſces*
Signa Magiſtratûs, formidandáſque *ſecures.*
Ridebat veterem Romam, ridebat Athenas:
Ridebat ſumptus, nova quos Victoria fecit:
Interdum & partos *caſa de pace* triumphos,
Olli materiam riſûs dabat obvia magni
Principis Aula, & equi, *plures aſiníque ſequentes.*
Et quæcunque choro deducens tibia nuptam:
Aut vetulam elatam, viduo plaudente marito.
Omnia læta quidem. Sed noſtro tempore curas,
Triſtitiam, angores, Divinos, phaſmata, verbo;
Stultitiam riſurus erat. vidiſſet enim nunc
Sergeſtum, fortémque Gyan fortémque Cloanthum
Terriculamentis animum puerilibus ictos.
Luctanteis quoſdam vidiſſet Solis ad umbram,
Caulibus avolſis & muſco pallidioreis.
Quæ cauſſa? horum aliquis properæ compendia mortis
Finxit, ab Eclipſi trepidans: res digna cachinno.
Quid, ſi ſe gallum criſtatum fingeret, & mox
Proderet hoc cantu! non tantùm eſt unius olim
Hic morbus. plureis ſimilis dementia cepit.
Qui vitreos, qui ſe volucres, piſceſve putabant,
Per liquidum modò jam pinnis, modò ludere pennis.
Poſteritas admitte fidem. durante pavore;
Et lino & ſtupa rimas, & cannabe multo
Stipârunt. fuit obductus, quocunque venires,
Peſſulus. immotis hærebat janua clauſtris.
44. Multos pœnituit, TAMARISCE, timoris inepti;
Errorémque ſuum non erubuere fateri.
Atqui non ſatis eſt, nævis ſe ſcire notatum
Turpibus, aut læſæ plagam cognoſcere mentis.
Emaculanda cutis. ferro ſanantur & igni
Vulnera, Pæonias queis fruſtra admoveris herbas.
O Cives, Cives, quos Nox Ecliptica denſis
Infecit tenebris: vult in'abſtergere fæces?
Quanquam altè inſedit fuligo ſontica; nemo

Deſperet. poſſum Æthiopes Mauróſque lavare,
Nam ſupereſt Medicina, malum quæ corrigat iſtud.
Nobis in ſomnis illam dictavit Apollo.
Non vos Anticyras, ad triſtia germina, mittam.
Si riſus ſanare poteſt, cur fletibus utar,
Et cepis, aut helleboro? melior crocus illis.
Heraclitus abeſt: ſanè Heraclitus & abſit,
Prodigus in lacrymas, oculi decoctor aquoſi.
Accipite hæc animis. Apothecã & Pharmaca monſtro.

45. Eſt locus umbriferæ juxta confinia Silvæ,
Cœlum & Terram inter: Zephyrus quà reſpicit Eurũ,
Et rigidus Boreas tepidis obnititur Auſtris.
In medio *bellum Oppidulum*, cui nomina *Cervus*
Indidit. exiguæ quondam magalia *Villa*,
Crevere in portas ac mœnia: quomodo Thebas
Facturi lapides coiere, Amphione ducti.
Vndique præcincta eſt luco, ſcenáque virenti.
Tota Viatoris viſu tranſmittitur uno:
Tanta patet. famâ tamen eſt ſuper æthere nota.
Conſtantinopolim vaſtam, omnigenúmq; Cairum,
Et Mediolano majoreis provocet urbes.
Quod mireris, ames tamen, invideáſque favendo:
Deſipere heic nulli licitum eſt. quia ſic ſtatuit mos
Tempore ab anteiquo Majorum, & Curia priſcis
Vt ſuprà renovata notis. ibi cornua victor
Cippus, & Actæon, ſua depoſuiſſe feruntur.
Heic pueri naſum, nedum ætas obſita canis,
Rhinocerotis habent, audéntque occurrere pugno.
Hanc ſibi delegit Regina Facetia ſedem
Ex quo divertens Venator Caſtulus Halton
Cæſaris *Henrici*, cui nomen & *Aucupis* omen
Fama dedit, cives ſenſit totúmque ſenatum
Feſtivè ſapere, & magnis præludere Faſtis.
Acta probans Cæſar, titulis & honoribus auxit
Ampláque jura dedit: confirmavítque Solones,
Séxque alios, numero diſtinctos impare ſeptem.
Huc intret, qui vult *Sapiens Octavus* haberi,

Et patrare aliquid, tabulas quod compleat albas.
Vix greſſu illato primam captaveris auram:
Signabit rubram facinus memorabile ceram.
Vrbs jam *Quarta Charis* meruit tribus addita dici.
Mille joci circumvolitant, & mille lepores.
46. Huc, quibus Eclipſis nimis eſt illapſa profundè
In cerebrum, veniant. nec erit locus iſte pudori.
Hic, aut nulla ſalus. Non ſi Galenus & omni
Arte ſenex Cous ſudet, meliórque Machaon;
Tantùm proficiant. *Recipe hoc*, dictante recepi
Numine: quod contra nullus Podalirius auſit.
Inprimis modium plenum cape lucis Eoæ,
Veſpere collectum: & ſternutamenta Triformis,
Quando eſt plena, Deæ. roſeos his adde colores;
Inſignita quibus radiat Thaumantias Iris:
Et picturato ſi quem dejecerit arcu,
Vt perhibent, *concham*. Tres ejus contere partes.
Tum perfunde duas hircino lacte recenti.
Chelis & ætherij ſubigatur tertia cancri.
Ac quoniam in ſemet ſcimus pugnare venena:
(Quod probat infligens adverſo ſcorpius ictu,
Atque eadem curans expreſſo vulnera ſucco.)
Márſque nocens cum Saturno quamplurima damna
Mentibus intulerit pavidis; corradere, ſectam
Meſſoris de falce ſcobem, galeáque Gradivi
Profuerit multùm, & maſſam compingere in unam.
Inſuper & lanam, *tribus aut de quinque capellis*.
Ex his, atque illis, quæ ponit cuculus, ovis
Turundæ fiant. tres plumas alitis Euri
Adijce de collo, medio vel corpore, ſumptas.
Addatúrque tubæ reſonantis in aëre clangor
Tyrrhenæ: quantum rudentis acutior auris
Vna poteſt capere: & vacuæ tria fulgura nubis.
(Sufficit ex tonitru centeſima portio verno.)
Campani ſonitus æris, quod turre ſub alta
Ventre cavo immenſum jactans Erfordia pulſat.
(Iſtud enim præſtare ferunt:) volucríſque caballi

Hinnitus itidem centum: ſegmentáque raſa
Vnguis Pegaſei, cùm ſeſe Aganippide lavit.
Delphicus iſta *Tripus*, novies Permeſside lymphâ
Commiſta accipiat: ſacráque coquantur in olla.
Præterea, dum ſpuma tumens exſultat aëno;
Sulphurea NAR albus aqua, notiſsimus Amnis
Virgilio, ſummis imma, & permiſceat immis
Summa. volat fumus: Lixivia calda parata eſt,
Subde caput vanâ maculatus imaginis umbrâ.
Quiſquis ſubdiderit; quamvis tenebroſus, & aſtris
Oblitus, exibit, diſcuſſis nubibus Aeſon:
Lautus iô, redivivus iô, terroris & expers.
47. At non his nugis fuit externata *S*ophene.
Vnde nec hujus eget, ſemper formoſa, lavacri.
Argolicas generoſa minas contempſerat alto
Torua ſupercilio; timidè quoque credula veris.
Nedum confictis, conjectantúmque ſiniſtris
Ominibus. quidquid ſævi diſcriminis Annus
Allaturus erat: *Faſtis nihil illa moveri*;
Nec dare ſigna metûs. imperturbata, ſuíſque
Præ ſcopulis ſcopuloſa ſtetit, tam pectore firmo,
Tam ſolitis conſtans fibris. Turbanda minaces
Aſtra objectabat Calchas novus, Albus & Ater,
Italus & Teuto: rumpendi fœdera Mundi:
Bella Planetarum plùs quàm civilia, nunquam
Viſa per Europen: obſeſsi Solis in alto
Æthere conflictus dubios: *nihil illa moveri*.
Quo nunquam extiterit funeſtius, affore tempus;
Seu cùm ſacrilegi ſurſum jecere Gigantes
Montibus impoſitos montes, & Pelion Oſſæ;
His uſi ſcalis. jam Mars captivus; & Aether
Palluit: inque ſuis tremuerunt ſidera caſtris.
Tetrior Orbis erit facies. *nihil illa moveri*.
Invitam ſeu cùm ſponſam rapturus in Orcum
Sicanias Pluto perfregit cuſpide rupes:
Noctis equos, & Solis equos, caligine eadem
Miſcuit, & cœlo ſceleratum impegit Avernum.

Nunc

Nunc quoque Styx oculis viventûm cognita nullis,
Ne Superis deprenſa quidem, manifeſta patebit.
Vix poſſunt peiora cani. *nihil illa moveri.*
Quin ipſam Eclipſin, quo ſolvit tempore biga
Lunaris, Fratriſque intrà ſtetit orbita jactum
Telorum: riſu ducens, evinctáque ſertis
Solleni ſtatuit cantores addere ludo.
Ergo exercentes diſcum, ſolitiſque recincti
Pellibus, ad plenas famoſis pultibus ollas,
Euoë, clamabant celebrantes orgia, & Evan.
Cur timeamus enim? Virgo Tritonia Pallas
Defendet, clypeóque ſuo nos proteget omneis.
Quæ ſitum eſt: unde hæc audacia? quóue calore
Tanti animi! Multi magna & diverſa loquuntur.
Credo, quòd his habitat virtus genialis in oris.
48. Helvetijs etiam ſua laus & gloria conſtat.
Vivat progenies animoſi maſcula TELLI:
Et proprias longum laudeis extendat in ævum,
Natio cum larvis hæc non luctatur & umbris.
In veras acies pugnare, & corpora vera
Conſuevit: non ficta Polo ſimulatáque bella,
Eclipsinue timet. Stant quemvis fortia in hoſtem
Pectora. Qui pulcra pro libertate feroceis
Projecere animas, curent ludibria vulgi!
Argolicos Faſtos, penè auſim dicere, *faſtus.*
Spreverunt igitur figmenta; diéque nefaſto
Permiſere boves *graſſari* in montibus altis,
Intrepidi, atque nihil metuentes ſideris orbi.
Ardua roranteis ibant armenta per herbas.
Propterea non peius erat, vel deterius lac.
Non ignobilius Dominæ hinc ſtatuere coloſtrum.
Candida ſpumabant æquè mulctralia, & æquè
Caſeus hinc preſſus potuit ſapuiſſe palato;
Vivat progenies animoſi maſcula TELLI.
Per quam priſca ſuos retinet Germania mores,
Germanúmque decus, germanáque pectora, & artus
Membrorúmque modum ſpirantem antiquius ævum,

Iaphetíſque genus. ſtant primo læta vigore
Corpora; & exterrent hoſtes, immania cerni.
Natio bellatrix. Quanti inſurgatis in enſes,
Ferratáſque cruces: quo turbine torqueat haſtam
Svviza ferox: teſtis *Murza* eſt, & *Carolus Audax*
Senſit: & in *Regis campo* teſtantur acerui:
Et *Sembacenſes* manifeſtant prælia Calvæ.
Hinc devota fides, tranſmiſſáque gloria. veſtro
Aula ſatellitio certatim ſplendida gaudet.
Cuſtodes Rex Francus amat: vos poſcit Iberus:
Ad Vaticanæ ſacrata Palatia Sedis
Excubias agitis. Qui vult tutiſsimus eſſe
E Diadematis; CANTONUM cingitur armis.
Ipſe dolor fecit Dominos rerúmque potentes.
Landenbergiaci faſtus, & ſæva libido,
Prædandíque furor; ſacráque affixus in haſta
Pileus: hæc veſtris fecerunt otia terris.
Tangit & heredes virtus proavita nepotes,
Synceros animos. mandata fidelia Regum
Materno cum lacte bibunt intrante medullas.
Quid? quòd adhuc infans pacto mercabilis auro,
Gratis non vagit: Regnóque favere docetur;
Vnde micant lances, & fulva crepundia miſſa.
Hoc ſucco creſcit. Vix ſeptima decidit æſtas:
Libertas tranſit crebrò modulata per aures.
Cantatus tenero TELLUS verſatur in ore.
Vt renuens aperire caput, contempſerit iram
Præfectíque minas: vincti de vertice Nati.
Vt *fatale* ſuo *Pomum* deiecerit arcu;
Obliquâ errorem non inferiore ſagittâ
Correctura manus. Cymbâ ut titubante repulsâ,
Brachia diducens fluvios enaverit altos,
Tu primus, GVILIELME, jugum pepuliſſe tremen-
Diceris à noſtris cervicibus; atque catenas (dum.
Cum rupta fregiſſe fera: pulsóque ſuperbo
Tarquinio, Brutus novus aſſeruiſſe Sodales.
Salve CANTONUM decus immortale tuorum:

Hel-

Helvetiæ columen, noſtri inſtaurator honoris.
Talia jam pueri vel blæſo mumure lallant.
49. Vatibus Alſatiæ ſed ſiquid creditis, hortor:
Vivite concordes. hoc pacto ac fœdere veſtra
Libertas ſtabit. ſecus: evaneſcet in auras.
In cunis parui quorum jam ſugitis aurum;
Servi fietis, ſi vel Diſcordia cœlo
Irruat, evertet. perijt diſſenſibus ipſa
Roma ſuis. perijt victrix vincentibus armis.
Quam *macer* & *longus*, tunicáque incinctus agreſti
Eclipſin *Civis veſter* prædixerat, illam,
Si tangit Patriæ propior vos cura, timete.
Tunc primùm juſta captus formidine Rhenus
Hoſtem inſultantem ripâ ſentiret utraque;
Lugerétque dolens; immugirétque dolori
Altiùs, & laceris truncatus cornibus iret.
Iam, ſatis uſque mali apparet, multúmque pericli:
Quòd vos Calvinus diſtraxerit, & ſacer olim
Zvvinglius: ad dirum nigris tumulum ſtatuendis
Dignior abjetibus, quàm cedro, atráque cupreſſu.
Hanc, moneo, Eclipſin caveat Mavortia pubes.
Altera ſic cœlo, quæcunque eſt, nulla nocebit.

PARS V.

Adnumerans Corollaria Ecliptica.

50 ORdinis alterius ſignum eſt cæleſte, *Cometa*
Vnicus: Eclipſi quæcunq, potentius aſtrũ,
Omnia trãſcendit juſto *Meteora* tremore.
Ille quidem tantus cenſu de paupere ſurgit:
(Non eſt Patricius, nec cætera ſidera civem
Agnoſcunt.) tamen officium præſtantius ornat.
Illud obit triplex, & habet tot nomina: munus
Legati, lictoris onus, præſagia *Vatis*.
Prædicit, ſuadet, cogit, terrétque, monétque.
Iudicis ad ſolium citat & ſubſellia ſonteis,
Vinculáque & pœnas. nec vana minatur eundo.
Nam quoties ſe cunque movet, flammámque comantẽ
Circinat, atque nothos in terras deſpuit igneis:
Teſtibus expertis, certum eſt prædicere clades.
Hoc etiam lictoris habet: vult nempe timeri.
Si placidum ſentire cupis, venerare Cometam.
Flecte: voca *Dominum formoſum*, atque aſpice contrà.
Hunc titulum certè gratum ſibi quondam *Hagenoa*
Luſcus connivens à mendicante recepit,
Divitis ante fores permiſſo quærere victum.
Omnis enim lictor magni decus ambit honoris.
Conſule quippe ſuo vix ſe putat eſſe minorem.
Qui *Decimum Octavum* Sæcli fœdaverat *Annum*,
Ora rubens, crines promiſſus: ſeu vapor infra
Lunam, ſeu rapidi ſupra faſtigia ſolis
Congeries ſtellata fuit: non nomen inane
LEGATI ſortitus erat; mandata Monarchæ,
Perſonámque ſuam cum cauda ſtrenuus egit.

Exia-

Exinde Europæ ſparſum genus omne malorum
Incubuit. Sævus Mars & Bellona cruentùm
Infrendens, Iani templo prorupit aperto,
Veriùs effracto. princépsque *Bohemia* fregit.
Fas erat omne nefas. Furiæ cecinere malorum
Claſsica, & attonitis rapuerunt licia Parcis.
Nulla mora. in foſſam detraxit letifer uncus
Purpureos Maneis, & olentia funera myrrham,
Anſtriacæ, Bayaræque Domûs. luxere Britanni;
Luxit Iber: flevit Gallus; flevere Sicambri.
Et qui non alij ſummo jam ceſpite tecti!
Hinc, puto, *Virga* Dei *vigilans* hæc ſtella vocatur:
Qua Pater iratus Gnatos caſtigat iniquos.
Ignea Lingua Volans. quæ ſancti munere Vatis
Fungitur, *ultorémque* reis denunciat *arcum*:
Quandoquidem clemens ſpretus fuit Iridis arcus.
Sidus non mutum eſt. totis ſublime perorat
Noctibus. ex mento *barbata Philippica* pendet:
Qualis in Æmathia vindex regione pependit,
Cùm rubefecerunt hominum duo fruſta Philippos.
Infans ſi fortè hirſutus, vultúque piloſus
Editur; horreſcit genitrix: pater ora retorquet.
Hoc Aſtrum, de quo loquimur, minimúmq: recénſq;
Vix utero egreſſum eſt, & adhuc à matre rubeſcit;
Barbatum tamen eſt. Sapientia Numinis æqui
Sic ſtatuit. Quoniam Thesbitae more Videntis
Mittitur, & vim vocis habens, terrere rebelles
Indomitóſque viros, ſcelerúmque horrore ſuperbos
Ne contemnatur; veluti puer à Goliatho
Irriſus Paſtor: ſpiſſum Deus ipſe vaporem
Accenſum ingenti produxit in æthera tractu:
Illuſtrémque dedit barbam, latéque timendam.
Fax hæc non puerum eſt induta; ſed ore virili
Intonat: & *nunquam ſpectatum impunè Cometen.*
Intonat: *& terris vertentem regna Cometen.*
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.
Quare adeò Eclipſis ſe non mihi conferat ulla.

Nimirum hanc certus Naturæ dirigit ordo.
Vnde diu nunquam, paucas duntaxat in horas
Durat. & exigua ſtringit formidine viſum.
Aſt ego communi digreſſus ab indole, Terris
Deſuper incumbo: nec, ut Heſperus, affero molleis
Blanditias, gracili modulari indoctus avena.
Terribilis Tubicen cieo ferale metallum:
Et ſuper arma volans hoſtilia tympana pulſo.
Quid mediter, ſatis hoc mea veſtimenta loquuntur.
Cernite caudatum. caput, impexíque capilli
Prodigialè rubent. *Durus ſum Nuncius* Orbi
Miſſus: ONus jubeor, multáſque indicere mortes.
Bella, famem, peſtem, ſexcentáque fulmina clauſo
Porto ſinu. Plerumque mihi tunc, vindice cœlo,
Apparere datur: noxarum immania quando
Exceſſere modum; & ſcelerum per devia torrens
Reſtagnat. Quid enim? viduas elidere ſaxo!
Pupillos fraudare bonis! pervertere jura!
Inceſtos laudare toros! Tunc ſolvere crines
Fata vocant: longo rubræ tunc flumine pallæ
Induci, & ſcuticam, toruóſque oſtendere vultus.
Hirſuti ELIAE ſquallentem indutus amictum
Imprecor: *è cœlo deſcendat Sonticus ignis:*
Téque, tuóſque viros quinquaginta ocyus omneis
Devoret. Hoc genus, hi mores, hæc forma Cometæ.
51. Natales Eclipſis habet, quæcunque ſit illa,
Longè diverſos. audi, TAMARISCE, canentem.
Cynthius, & ſudo reſplendens Cynthia cœlo,
Sunt Latonigenæ. ſed Olympum maſculus Heres
Poſſidet, & regnat. tamen iſta lege tenetur,
Dimenſo radiante ſuam nutrire Sororem.
Id facit: & quovis alimentum menſe reponit,
Argentum purum. nam nobiliore metallo
Gaudens, ipſe ſuos *aurum* ſeponit in uſus.
Vnde ornamentum cápitis, radióſque, comáſque
Et præfulgentem chlamydem, torquémque decorum,
Frenáque, & ignipedum ſoleas inſtauret equorum.

Regia Solis enim magno nitet aurea luxu.
Quantum inſtaurandis toties inſumitur Horis!
Ver breve & acris Hyems, meliórque Autumnus, &
& Aeſtas,
Servitium gratis non præſtant. Scilicet aureís
Incincti ſagulis ſtipendia debita poſcunt.
Plus neque Luna petit, quàm quod ſociabile pactū
Cenſibus addixit. ſimul atque à Sole refecta eſt;
Et faciem fulgor ditavit menſtruus album:
Lætior exſurgens, poſtquam dedit oſcula Fratri:
Et junxere arcus, & concuſſere pharetras;
Secedit: quóque eſt abeunte remotior illo,
Plena magis, ſolitò formoſius erigit aſtrum.
Quanquam autem hoc vetus eſt: *Varium & muta-
bile ſemper
Femina*; nulla tamen vincit vertigine Lunam.
Nunquam eadem, ſempérque eadem, mutatur in horas.
Fit gravior levitate ſua. leviórque viciſsim
Fit gravitate ſua. variat: nec veſtis habetur
Apta Deæ. jam longa togæ multitia poſcit:
Iam contenta brevi tunica ſocciſque coruſcis.
Iam vultus tenues, & inania cornua tollit.
Stulteſcit quandoque. etenim cùm pallet, & altum,
Telluris ſubeunte globo, decedere ſentit
Splendorem, accuſat Fratrem, luciſque rapinam
Imputat, immeritóque ablatos exprobrat igneis.
Tum verò & ſagas matres, notáſque noveſcas
Aemoniæ, ad luctum vocat, auxiliariáque æra
Implorat. quatiant pelues, minuántque dolorem.
Indefurens ultrix, pœnæque in imagina tota
Celsiùs attollit Bigam: nocituráque Soli,
Quà potis, & quà non potis eſt; *Per Sidera, Frater
Redde meam ſortem*, clamat, *Prædator inique.
Debita jura negas, ſic te partiris, & aſſem
Maternam! ſic aſſertam me in ſceptra reponis!
Scilicet ipſe diem ducas, niteáſque ſuperbus:
Semper ego cæca mœrens in nocte relinquar!*

Ni mihi des lucem; neque tu lucebis. opacum
Subjiciam corpus. ſimul obſcurabimur ambo.
Qualiter infanti cùm jam Salomonius enſis
Inſtaret: turpis dicebat & impia pellex.
Nec mihi, nec tibi ſit. ferro dirimente ſecetur
Iudicium. liteis diviſus terminet Infans.
Ingenio ſimili plùs quàm muliebriter uti
Sueta Soror Phœbi, conſcendit in æthere clivum,
Furta parans: &, ubi currus Ecliptica tangit
Linea fraternos, (luſtrans quippe omnia movit:)
Inſidias ſtruit, atque obliquo tramite ſiſtit.
Ecce venit laxis Titan invectus habenis,
Ignarus rerum, támque immedicabilis iræ,
Qua flagrat veſana ſoror. Furibunda repentè
Proſilit, arrepto tum tempore: &, *improbe reddes?*
Ingeminat. *viden, ut me denigraveris! hîc ſum*
Pauper, inops lucis. ſimul hæc, ſimul atra juvencos
Objicit. (& magicis credunt urgere venenis
Nonnulli. quoniam triplicem coluere Dianam
Theſſalides; Diti, ſilvis, & in æthere notam.)
Omnia terrifici aurigæ mugitibus implent.
Quadrijuges terret novitas inopîna: Phlegónque
Et Pyrois reliquíque pavent. fit pugna fremórque
Conflictu modico. Donec Sol verbere & ore
Exhortatus equos, ſuperata pericula tranſit:
Et fatuam linquit poſt libera terga ſororem.
Exclames: *Tantane animis cœleſtibus iræ!*
Mirum! tota redit mox gratia. Diſcite ſævî
Mortales, odia haud multos extendere in annos.
Victis, confeſſíſque Reis ignoſcere pulcrum eſt.
Atque ita communis Naturæ Eclipſis habet ſe.
52. Sed *moriente Deo*, quum diro in ſtipite clavî
Suffixum ferrent, procùl à tellure levatum:
Nulla in ſideribus fuerat deprenſa ſimultas.
Pace ferebantur. concordia maxima morum.
Plena incedebat roſeo Latonia vultu;
Nec cornu, nec fronte minax, ſed amabilis ore,

Inque

Inque ſinum ridens. nam paullò acceperat antè
Luminis inſignem gazam, & prædulce ſerenum.
Vnde recedendo jam tantò opulentior ibat,
Nocturnos inter Cœli Regina pyropos.
  Non illi ſe ferre parem pulcerrimus ortu
Lucifer, & Veneri nimiùm dilectus amanti:
Non jubar Arcturi, aut nitida cum conjuge Cepheûs.
  Cùm ſubitò nil tale timens, nihil auſa, nihilque
Auſura, in nodum tortis quaſi tracta capillis
Abripitur, fratriſque ſui ſubſternitur orbi.
Obtegit, & jactus telorum intercipit omneis.
  O ſtolidum genus Iſacidum! hoc deterrima Iudæ
Proluvies olidi non obſervâſtis Apellæ!
Sin obſervâſtis; non crimina veſtra notâſtis!
Squallet humus: livet cœlum: caligine Mundus
Volvitur, & tenebræ ſubtexunt omnia denſæ:
Impiáque æternam timuerunt ſecula noctem.
  Nam *conſternatus* ſtellis trepidantibus æther,
De medio pallere die, atque albeſcere cœpit.
Nec micuere faces, propiùs quas dicere poſſes
Spectari: verùm, conſtaret ut eſſe remotas;
Scintillaverunt vibratis crinibus ignes.
Vóxque per Ægyptum clariſsima *Solis* in *Vrbe*
Perſonuit ſtupefactus enim clamabat Achivus:
Aut patitur Primus Naturæ & Maxumus Auctor;
Aut ejecta Polis ſolvetur Machina Mundi.
  53. Hanc, Tamarisce, frequens Eclipſin expende; tuámque.
Quænam? ais. heu, neſcis! quam mox patiere: patiq;
Cras potes, aut hodie. nihil eſt incertius. occidui ſunt
Mortales. Totus quando obſcuraberis ipſe,
Nulla tibi Eclipſis poterit contingere major,
Horridiórque ſimul. gemini frangentur ocelli:
Palpebra nictabit; dilectáque ſidera hebeſcent.
Incipiet toto viſus decedere cœlo.
Quicunque aſpiciet, ſortem miſeratus acerbam
Flebit: & huic nocti, dicet, ſuccumbimus omnes.

54. Nem-

54. Nempe times iſtam! recipe hæc ſolamina contrà.
Majorem Eclipſin cum CHRISTO paſſa MARIA eſt.
Namque ubi Mons, Solymam prope, tollit in aëra dorſum,
Et putribus ſquallet feralis *Golgotha* caluis:
SOLEM IVSTITIAE ſcis occubuiſse, profundis
Submerſum tenebris, quas *Nigra ut* LVNA creavit,
PULCRA UT LVNA priùs, formoſi Femina partus.
A brevibus tenebris, ſenſim crevere *tenebræ*
Productæ in longum. faciem nox occupat atra.
Sputa, catena, flagrum, ſpinæ, crux, lancea, claui,
Cui non offundant nebulas, luménque retundant?
Heic SOLEM patientem & corpore LVNA cruentum
Inuaſit ſubjecta Cruci: tanquam ubera monſtret,
Aſtiterat Nato crudelis & aſpera virgo.
Alterno aſpectu cruciatur VTERQVE PLANETA.
Inque vicem vehemens caligo intenditur. altas
Egit in ambobus radices cauſsa dolendi.
Sævit amor ſtimulis, tormentáque mutuus auget;
Ac velut in ſpeculi luctum rotat ære reflexum.
O *Fili*; ô *Mater*; quin jam nec *Filius* ille,
Iſta nec eſt *Mater*; MVLIER (quid triſtius?) audit
Iam Mulier, quæ virgo priùs, Genitrixque pudica.
Senſit ad hanc vocem ſuccedere maius opacum
LVNA PARENS, quatitúrque ſacris horroribus artûs.
Antè Dei Mater, Mulier nunc incipit eſse,
Ex reliquis, ceu paſsa Virum, communibus una.
Deficit in ſtatuam: nec jam loquitúrue, gemitue.
Ipſe ſuas vireis mæror conſumpſit; anhelat,
Non clamat dolor incluſus pérque omnia magnus;
Sed ſtupet. hoc quoniam reſtat de viribus unum.
Iſti ſunt veri Solis Lunæque labores,
Has tenebras manibus palpes. SOL denique fixus
In Cruce diriguit, preſſoque obmutuit ore.

Fle-

Flebilis adverſùm contemplabatur Imago
Matris: &, ut multos luctus commiſcuit una
In *veſpertinam* demum converſa *Figuram*
Pallida Luna *pluit, rubicunda flet. alba liqueſcit*
In lacrymas; lacrymas expreſſo ſanguine miſtas:
Lamentabilibus ſingultibus interjectis.
Stat tamen, ignorans, jaceat miſerabilis, an ſtet,
Exſpiraturæ ſimilis, ceu *virgula fumi.*
*S*ic quoque ſtat. *Stabat*, legitur; cecidiſſe, probandum eſt.
Non illi imponas genus ærumnabile morbi,
Quæ ſine labe fuit concepta & mortua, *Spaſmum.*
Sed dolor augetur. nigreſcunt omnia circùm.
Ore color nullus: niſi qualem falce reſecta
Buxus habet, Parióque effictum marmore ſignum.
Tandem *animam gladio penetrante* elanguit inſtar
Extincti cerêi, cui forma & flamma receſsit.
Nulla fuit, nec erit par hûic Eclipſis in orbe. (teis,
55. *Marce*: per hos oculos in nocte & morte natan-
Poſce, per hos, inquam, *Solis Lunæque* labores.
Vt relevare tuos (quid enim ſapientius optes?)
Dignentur. ſimul atque advertes nubila fundi;
Pupillámque trucis lethi confixerit horror:
Abdere in has tenebras, unâque aſſueſce *moriri.*
Quid trepidas? & ad hoc verbum percelleris oſcũ.
Verbum Divinum mortali in carne *moriri*
Pro te ſuſtinuit: cupias tantúmne *mori tu*?
Cæſaris Auguſti ſeclo *deponere vitam*?
Verba pati diſcas, ut ferre & verbera poſsis.
Si ſapis, & rectè ſentis, præcepta per oſca
Ampliter inciaures tolerare aſueſce laboſes
Ruſpari pæſnas, aquilis uruatus & alpis.
Si ſancti Crucij æſtimta eſt; niſi fucile, pilpit
Sardârunt vates, qui contemplare futura
Inſtiterunt; ſolata libens, & querquera torta.

Cal-

Caldáque ſuſcepſis, nihil ejulitando: licet te
Talipedantem, incoxatum clunabula ſcava
Vnguſtíque rudes , acieres atque catela,
Concta inebra, & gramiæ vexent. læbeſtu es inter
Tot viduertates Chriſto Duce, & auſpice Conſo.
Hujus enim pro te fuſus circaneus aſsir,
Arferiam exſuccat: jam tu reſes eſſe cracénſque!
O pudeat, bliteum ſtlembúmque ad ſidera ferri.
Crux dat acupedios, celeréſque, ut faminat olim
Frendere dura ſolens Paulus. ſollenitus ergo
Malis cum Chriſto, cúmque ejus Matre moriri,
Quam quovis cum Rege mori. ſis purus honeſtis
Moribus atque nitens. Letho ſed barbarus eſto.
Scilicet optares *placidè concedere Fatis*:
Leniter exſolvi: ſolanteis inter amicos
Componi ſomno: naturæ ſolvere cenſum:
Oppetere in thalamo: parere vocantibus umbris:
Exhalare animam floris vel luminis inſtar.
Sunt iſthæc molles nugæ. *Tamariſce*, moriri
Te cupiam. manat namque hinc & rurſus oriri
Quod non dat quodcunque mori. Mariana receſsit
Poſt Tres Eclipſis Naſarenáque LUNA refulgens
Splendidior ſurgente ſuo cum SOLE revixit.
Tu quoque fatali quamvis caligine merſus,
Nenu deſpera nece te procitante. memento,
Quod bitiens exſúlque ſuas: Tempeſtáque ſemper
Obveniat natura probis. aliuta nequibis
Verruncare malum. vitäi ſcamberat ardor.
Indecorabilius moltò moriere. feramus.
Nemo eſt impunis. prognariter obpuviatus
Vtcunque effudas dacrumas in nocte cnephoſa:
Poſt tenebras ſpera lucem: *poſt nubila Phœbum.*
56. A diverticulo primum redeamus in orbem
Nemo igitur, dicas fortaſſe, volubilis ævi
Divinare poteſt finem, & ſpacia ultima? Nemo,
Ex ſolo aſtrorum curſu: nec ſi Argolus *Argus*
Factus, centum oculis videat, præceperit unquam.

AN-

Ante qvos Vates, quos nobis ſacra vetuſtas
Propoſuit, ſpiránſque Deus: veneramur, amamus:
Excipimúſque *Novos* colaphis, plenâque matella:
Aut ſudibus, quoties deſunt unguenta, peruſtis.
Atqui atqui inflata eſt caſuri buccina mundi!
Sed quo ſucceſſu? Fertur nam muſteus atque
Entheus in Bromij ſpuma, *vitróque trilibri*:
(Illo illo ingenti, ventrémque implente capacem
Saxonis, Antæum manibus quoque ferre potentis)
Occaſum præſciſſe & prædixiſſe *Lutherus*.
Deinde calens vino Præeo *Campanus* aduſto,
Ex umbone ferox. (hodiéque eſt Clivia teſtis:)
Inque ocreis natus *Stiffelius*. ô Coriandrum!
Vlla virum ex corio ſciſſum num protulit ætas?
Dic: ocream talem genuit quo tempore cerdo?
Barbara vox, inquis. *Coriandrum*, nobile granum
Significat. Graiæ tu ſic illudere linguæ,
Et Latio! caput humanum conjungere equino!
Ac ſi in nominibus *bacchantûm* Spermologorum
Non liceat lepidè nugari, & flumina riſu
Siſtere prægelido. ſed rem veniamus ad ipſam.
Quis curet nomen? Stiffelius iſte Propheta,
Si quiſquam, magnus, pellitus, digna Cothvrno
Vivo *verba dedit*. Cives accurrite, cives
Poſt ſex (Henrico, niſi fallor dixerat olim
VVolfgangus, melior Vates.) advertite *Poſt ſex*;
(Menſes ânne Dies, totum mentire, vel Annos?)
Poſt ſex, everſus ſuccumbet funditus orbis.
Extremúſque Dies veniet, compage ſoluta.
Mox aderit Summus Iudex. eſtote parati.
Quod ſupereſt Cereris Bacchíque, abſumite læti.
Factum, *ocreate*, puta. neque enim calcaribus ullis
Eſt opus hoc ad iter. *Paſtorem armenta ſequuntur.*
Quis novus hic *Panthus, arcis Phœbíque Sacerdos*,
Inclamans Phrygiam Danais vaſtantibus urbem:
Venit Summa dies & ineluctabile Tempus
Dardaniæ. fuimus Troës: fuit Ilium, & ingens ...

Gla-

Gloria Teucrorum, (ſtultorum Ruricolarum.)

57. Ceu mappâ data ſigna forent; age: Protinus omnes
Confluere ad Thyaſos, &, vertere in orgia noctes:
Diffluere in luxum, Veneriſque exempla nefandæ:
Profluere in calices & dolia. ludere in illis.
Quomodo Tyrrheno ludunt Delphines in Alto.
Arcæ opibus fractæ vacuantur; *pérque feneſtras*
Projecere domos, & Mundi fruſta labantis.
Cùm laribúſque Foci, penus, & *cum Smilace fornax*,
Omnia inexpletæ penitùs donata gulæ ſunt.
Vivebatur enim nil Bacchanalia præter;
Inversóque modo. veſano ululante tumultu,
Centauri, Fauni, Dryades, flavæque Napææ
Conjunxêre choros. vitulus proponitur aſſus:
Qualiter Hebræi ſtatuit Gens ſanguinis aureûm.
Advitulum vituli ſaltant: vitulantur & ipſi
Ludum exercentes. prima optima vina dabantur:
Vltima, *poſt Feſtum*, nil *Cotis* habentia, cellæ
Deterioris erant. Lacrymis plena hydria ſtabat,
Et ſalſas fundebat aquas, oculóſque liquenteis.

58. Ventum erat ad fundum. vappam jam trulla vomebat:
Déque cadis olei fœtens ſtillabat amurca.
Interea *poſt ſex* nulli ſe evolvere Soles
Elyſij: nec ſpes vitæ promiſſa beatæ
Affulgere Polo. totum ſine fulgure cœlum.
Immotæ nubes. nullum mutire tonitru.
At procul ex oculis tunicatus lixa proſeuchæ
Fugerat in tutum: tanto fœtore relicto;
Arunci quantum pingues non mille dediſſent.
Ergo truces mœſtíque, etiam vix flere valentes.
(Includebat enim lacrymas dolor) ire per omnes
Quæſitum ſaltus, per & invia & avia. fruſtra.
Serò Abderitæ ſapitis: poſtquam omnia luxus
Vaſtavit, mentiſque ſtupor. *Stiffelius* ipſo
Nomine debebat vobis ſuſpectior eſſe:

Ac-

Accelerare fugam ſemper de more paratus.
Poſcit equos *Ocrèa*, & rapidis aufertur habenis.
Devoveatis eum diris licèt, & nebulonem
Indignum ſiliquis, indignum luce vocetis:
Ille ſaginatus tanto majore cachinno
Poſt carecta latet, ficúmque oſtendit & unguem
Infamis digiti vobis, ſannáſque ſonanteis.
Ite levis vulgi fæx,, indigenæque redacti
Ad ſcabiem, micáſque canum, lapidoſáque corna.
59. Quis furor, ex *Ocrea* Mundi producere Fata!
Hoc etiam eſt *ultra crepidam* fœdiſsime Sutor.
Præ ſoccis, aliquid ſemper plus calceus audet.
Plura requiruntur, toto quæ publica cœlo
Præcedent orbis ſupremam ſigna ruinam.
Longè alio horridior, quàm Sol eclipticus, ore,
Delius inſolitâ ferrugine luridus, apparebit hians. diſco obtuſo, vultûque minaci.
Delia ſanguineum lugubre adverſa rubebit.
E cineris ſacco mortem lucere putabis.
Agmina ſtellarum ſine lege, ſine ordine miſta,
Diſcurrent inſtar lapſi Phaëthontis; & igneis
Crinibus excutient, palantia limite nullo.
Nubilus oſtentis trucibus replebitur aër.
Vndique fulmineis reſonabunt omnia nimbis.
Cuncta ſuis Elementa locis emota recedent.
Terra tremet: Maris unda fremet; decumámque procellam
Altior attollet, jactis ad littora phocis.
Flammea per medios current incendia campos.
Cum ſcopulis ſummi montes, ut cera liqueſcent.
Quæ tunc Terrigenûm facies? quis pallor in ore,
Corde pavor? *Tellus pedibus quaſſata dehiſce*,
Clamabunt; *alvóque tuâ tua viſcera conde.*
Ne videam, videárue alius. *ſubſidite cautes*,
Dicet; & , *ô lapſu colles operite ſepultum!*

Tunc Tuba! *ſed motos præſtat componere fluctus*
Numinis, iratique minas lenire precando.
60. *Scindite mortales concretum pectore ſaxum,*
Parcite nil meritas veſtes lacerare: cruentæ
Deſcendant in corda manus. *clangore tubarum*
Cogite jejunos cœtus: & adeſte vocatis
Procidui; ſenibus ſanctis permiſta Iuventus.
Conveniant Matres, *& cum lactantibus ipſi*
Lactentes. ætas omnis ſe cernua ſiſtat.
Sponſa cubile ſuum thalamis egreſſa relinquat:
Sponſus & ipſe ſuum. Solymitides ite puellæ.
Addite vos mœſtis Alemannides, addite Nymphæ.
Ite caput cinere aſperſæ, ſciſſæque capillos,
Dejectæque oculos, & palmis pectora tunſæ.
Ter pedibus nudis veneranda altaria circùm:
Ter manibus paſsis facratum ſtringite ſaxum.
Ter curuate genu ſupplex in pulvere terræ.
Quis ſcit, ſi Deus omnipotens ignoſcat, & ad nos
Converſus, precibus faciles accommodet aures;
Atque olei mitis cornu, miſerantis amore,
Deſuper inſtillet, fletúſque abſtergat amaros.
61. Hæc dicit magno poſſeſſus Numine Vates.
Ecce dies Domini, caliginis atque procellæ
Imminet. Ecce Dies tenebrarum, & turbinis atri.
Támque propè eſt; ut jam ſenſum percellat odore
Flamma minax. properante gradu, devexus ab ortu
Mundus in occaſum, toto cum pondere vergit.
Chaldaeae Statvae Moles pervenit ad immum:
A capite ad *calcem.* jam dudum evanuit *aurum,*
Translatum ad Medos. horum in fornace recoctum:
Decidit ex humeris *argentum.* Græcia Perſis
Abſtulit, & Latro bis Magnus corruit ære
Suffultum latus Inachium; Romanáque peila
Confixere femur. Modici de poplite *ferri*
Quid reſtat? ſtridente chalybs ſeſe atterit uſu,
Pes tremit inſtabilis, ſuras rubigo peredit.

Vix:

Vix jam *teſta* ſuper. digiti bis quinque videntur:
In quibus ut ſperes duo vel tria poſſe latere
Secula: ſic nec plura reor ſupereſſe: licebit
De numero mediam fortaſsis tollere partem.
62. Dic: quid in Europa (luſtra, ſi tanta cupido
Quid pulcri ſacríque vides, primíque vigoris? (eſt:)
Bella tonant. furit emiſsis Gradivus habenis.
Armiferam Rhodopen populos effudit in omneis
Ille quidem. ſed enim vaſto cum fragmine montis
Pars in Teutoniam major dejecta videtur.
Cæſareas aquilas quis jam non vellere tentat?
Decerptis æther plenus volat undique plumis.
Omnibus in galeis pennæ figuntur ademptæ.
Altera perpetuos iterat *Pharſalia* motus.
Raſtra in loricas, falces conflantur in enſes.
Pax, vacuum nomen. medios ſparguntur in agros
Semina Cadmæam fatis æquantia meſſem.
Civiles ſonuere tubæ: metitúrque metitque
Se ſeges ipſa crepans; & in horrea fertur opaca,
Filia quæ Cereris referat, jam tertia Iuno.
Res vulgata nimis. Cognatum invectus in hoſtem
Sanguine fraterno violat natale ſepulcrum.
Rugit *Belga Leo*; pérque intervalla jubatus
Concutitur, vacuíſque fremens ferit aëra malis.
Armantur tectæ vulpes: armantur & urſi.
Et celeres pardi, gryphéſque in montibus altis.
Et quæcunque fera eſt clypeata, aut caſside fulget;
Militat hoc ipſo, criſtíſque incedit avitis.
Nomina magna ſonant: tumulos implere duellis
Ambitus inſanit: rectáque aſcendere in orcum
Cum phaleris, & cum calcaribus, & nigris Dijs.
Trux *Othomannigenûm pecus* in peiora ſuperbâ
Fronte ruit; tollítque minas, & cornua faſtu.
Odryſias vexilla movent errantia Lunas.
Sævit inexpleto feralis bellua rictu.
Iam per Pannoniam conatur adire *Viennam*.
Iam per Dalmaticos rimatur viſcera ſaltus;

Præ-

Præcipuus furor in *Venetos*, latrantibus obſtant
Patricij canibus. vim maſculus *Adria* ponto
Frangit, & illiſos ſcopulis defraudat hiatus.
Sarmaticam ſua Erynnis agit ſuus ardor in arma.
Lechica nil metuit proles: ſed Viſtula plorat.
Suecia Guſtavi necdum ſatiata trophæis,
Arctoas acies lituis Borealibus inflat.
Teſſera bellorum eſt, quam dat Mezentius olim.
Nec Mortem horremus, nec Divûm parcimus ulli.
Danus inhorreſcit: magnóque agitata tumultu
Cimbrica tempeſtas refluas deſpumat in iras.
Cædibus alternis funeſta *Britannia* Sceptrum
Polluit: & jugulis hebetatur laſſa ſecuris.
63. Nulla mora eſt. aderit tandem *præſcitus* ab omni
Parte nocens: monſtrum horrendum, *quod ſe omni ſupra*
Numina jactabit, ſummáque ſedebit in Ara,
Thure calens, plus quàm Deus (& quid majus habetur?)
Oppoſitum Chriſto. Non longè fertur abeſſe.
Præcedunt Prodromi: Faſtus, Fraus, Luxus, Egeſtas,
Perfidia, Ambitio: Pax perſonata, Dolique
Viſco avium tincti: bifrontes, atque bilingues;
Quorum opus & labor eſt, oleo inflammare caminū.
Verba quidem balant, ſed facta & crimina latrant.
Ancipitem ſonitum labra ac præcordia miſcent.
Blandiciæ, promiſſa, preces, lovis omnia plena;
Immensúmque nihil uno ſtabulantur in ore.
Nulla fides pietáſque viris, qui caſtra ſequuntur.
Rara fides etiam ſolitis præcedere caſtra:
Rarior in medijs caſtris, vel Punica certè,
Hannibal antè volans & retrò perfidus errat.
Iuxta, infra, ſupráque aciem. Fas omne ſub ungue eſt.
Nunquid (iô) propter pacem jam bella geruntur?
Nunquid (iô) potiùs bello Pax alma fugatur?
Dic: quotus ex merito Patriæ Pater. omnia Fiſcus
Devorat. abſorbens mare fit, nunquámque redundat.
Prætextu armorum, vanæ ſub imagine pompæ,

Publica privatis inhiant æraria nummis.
64. *Virtus eſt, vitium fugere,* inquit Horatius. ohe!
Flacce, quid? *ô mores, ô tempora!* tempore noſtro
Virtus eſt, vitijs inſiſtere. Qui ſine fraude eſt,
Ibit in exilium reus, ad Garamantas & Indos.
Reſpice Scriptorem, qualem *Florentia* pavit.
Amphisbœna biceps quas non penetravit in Aulas!
Velleris aurati fit eques: qui vellera ferre
Debuerat piceis infecta. ſuúmque cruentis
Machia- cædendum- *Vellus* præbere machæris.
Exin nulla quies; virtus vix proijcit umbram.
Vtile laudatur. quod Honeſtum eſt, quærat agaſo.
Verba volant: facienda jacent. donanda manebunt
Centum occluſa feris. Nunquam prodire licebit.
Theſauros retinens Arca, eſt Danëia Turris;
Cuncta, Iovémque ipſum, quamvis ſe vertat in imbrem,
Eludet. Calvi obſerva Branconis alumnum.
Pollicitis immanè tonat: nec decidet ulla
Stilla tamen. Siccæ nubes, ſempérque coruſcæ.
Scilicet his aulæ ſplendent, raróque rigantur.
Candida ſub ſterili dependent vellera Cœlo.
Quis Cœlum curat? Bona ſunt in amore caduca.
Parva Rotæ ſpecies, Fortunæ lubricus axis,
Orbibus immenſis ſummi præfertur Olympi:
Divitias & opes, aliquo vix nomine dignas,
Virtutis contemptor amat. cumulentur ut auri
Pondera, crudeli ferro pugnatur & auro.
Quæque brevi nullius erunt, ſibi quiſque rapinâ
Attribuit, prædámque facit. pro vilibus umbris,
Et nitida cinerum gleba, pro pulvere terræ,
In cineres abeunt, & fiunt pulvis & umbra.
His vitijs & vana fides accedit, & ora
Fiſſa dolis. famæ ſtrepitus, mendacia mille.
Seu nova narrantur, ſeu prælo impreſſa leguntur;
Quid credas? in quam referas audita bilancem?
Hiſtrio ſe vultus variat, cordiſque Sinones.

Intus atrox habitat Catilina, foriſque Camillus
Apparet; totus ſibi diſſonus. Vnus & idem
Fucus, apis, lupus, agnus erit: & amicus & hoſtis,
Cui caput optaret demptum cervice reciſâ,
Pronus adorabit. protendet ad oſcula dextram:
Læva manus ſicam ſolvet. cum fulgure ridens
Flectit: & ô dulcem (clàm deteſtatur) Oreſtem!
Enectúmque fame malit, cùm invitat ad offam.
Donatur pro pane *lapis*: monſtratur & ovum;
Scorpio porrigitur. piſcis mutatur in *Ibin*.
65. At, puto, IUSTITIAE ſaltem ſua jura relinquunt.
Cras, *Tite*, ſolvetur merces tibi debita. falſum eſt.
Pignus adhuc hodie referam cum fœnore: falſum eſt.
Nullo imbutus heri ſum muneris unguine: falſum eſt.
Bullatæ leges, & conceptiſsima verba,
Et Iusjurandum, ſignum Majúſque, minúſque
Chartáque cum cera plebeia & regia: nugæ!
In Teſtamentis quæ corruptela! reſignant,
Quo placet, intruſo; toto licèt aſſe remotus
In vivum Coſſus verbis peccârit & herbis.
Quid valeant tabulæ cum Teſtatore ſepultæ?
Arguis, & dictis confutas facta? negabit
In collum laqueo dignum mentitus; & aſtra
Oſtendet digito: per eum, qui condidit illa
Captator jurans horrendùm, & in æthera frendens.
Et ſperemus adhuc Mundum conſiſtere poſſe!
66. An referam, quidquid laſciva inſania peccat?
Oedipodes, Phædræ ſcelera, Aegiſthique ſilete.
Noſtro ævo neptes ex gnata ſuſtulit unus:
Ipſe ſuæ prolis (Furijs horrentibus omen,)
Factus avus; *miriſque gener*: *generóque nefandæ*
Coniugis improbior factus ſocer. Integer huic vir
Iocaſtæ collatus erit. Tunc ſcilicet aſtra
Clauſerunt oculos, ne probrum immane viderent;
Quale Mycenæi vix adſpexere Penates.
Quos tamen effugiens ſol & revolutus in ortum,
Attonitos dira detorſit ab urbe jugales.

Fe-

Femineo quænam videas ſpectacula circo?
Aede Pudicitiæ verſâ, pudet eſſe pudicas.
Iam non æra petunt omnes, cùm corpora vendunt,
Dant etiam; ut ſaltem merx ſic quoque vilis ematur.
67. Aſpice Parthenios cætus. Quota Virgo mereatur
Nomen adulta ſuum? titulo contenta ſuperbit
Hypſipyle: cauta eſt, ſed non & caſta Neæra.
Reſpicimus fines, non ſignificata frequenter.
Nam quid ſignificet Virgo, non reſpicit unquam
Filia Mechtildis Glaphyræ: non reſpicit Hecla,
Quæ ſedet, & ſpectat Laribus vicina Bathylli,
Ex maculis, quot prætereant, ut femina culti
Ad ſpeculum juvenes. oculos tunc prodigit omneis,
Et centum geminis plureis optaret habere.
Occurrunt paſsim pictæ ſine fronte puellæ:
Exertæque ſinum longè latéque patentem,
(Quem tamen armatus meliùs velaret echinus;)
Haud ſecus ac plenæ diſtendunt ubera vaccæ.
Ferre putes ad molle forum duo cymbia lactis.
Virginis hæc ſertum geſtet, quæ vertice criſtas,
Suggeſtúmque comæ, tabulatáque ſerica portat!
Virginis hæc titulos curet, quæ felibus olim
Invida, nocturnas viſitque agitátque choreas!
Virginis hæc Zonam! cui balthea militis hærent
Appenſa: *& notis fulſerunt cingula bullis.*
Virginis hæc florem! quæ deſijt eſſe biluſtris
Florida, & à Veneris jam dudum ſaucia ſpina,
Proſtituit corpus: quum nondum ducere fila
Sciret, acúque ſuos in trama pingere amores!
Virginis iſta nives! niveum quæ oſtendere collum
Geſtit, & à media plùs quàm cervice retectum!
Virginis hæc mores! quæ cincinnata ſub aure
Cum gemmis electra gerit, Electra futura.
Quid refert? Nympha Oceani, an ſoror impia Oreſtis.
Virginis hæc nomen! quæ torua & veſte virili
Braccata incedit: ſed non niſi mollis Amazon

Alteram amat pharetram petulans, aliáſque ſagittas.
Virginis hæc * * *

Cætera deſiderantur.

68. Hæc ad Danubij ripam propioris: ubi ſtat
Arx Nova, jam muris non aſpernanda refectis.
Dij liquidi! quantis moles aſperrima damnis
Præſtructas afflixit Hyems! aduoluit aceruos
Cruſtarum immaneis! glacialia frangere pontem
Fruſta minabantur, porrò indignantia ſiſti.
Intumuere animi Fluvio. Spumoſior Iſter
Saxea frena ruens, & cuncta repagula rupit
Clauſtrorum multóque involvit gurgite campos.
Sed nunc aggeribus reparatis mitior intra
Septa fluit: curſúſque modos iterare prioris
Cogitur: & placidis deſcendit lubricus undis.
Hæc eſt Humanæ uitæ labentis imago.
Iam faſtu erigitur, ceu fluctu, & concitat æſtus:
Impatiénſque ſui ſpatioſis ludit in arvis.
Mox iterum luctu ac curis, velut aggere ſepta,
Intra alueũm depreſsa meat; vicináque morti
Anxia contrahitur: poſitóque tumore reſidit.
Danubius quærit ſua Fata; ideóque citatis
Paſſibus Euxini contendit ad oſtia Ponti:
Nos ſcorbe contenti quavis *Dilabimur omnes,*
In mare, *ſicut aqua.* Lunæ Soliſque labores,
Præteritæ Eclipſes, cum præteritiſque futuræ;
Quique Mathematici *in cœlum* (fiducia gentis!)
Ponitis os veſtrum, terroréſque inde cietis.
Cum Macris pingues, cum toruis ora venuſti:
Pieridúmque Chorus Muſæ, formoſa Thaleia:
Tuque ô diſtinguens arguto pectine crines
Euterpe dulcis: quæ carmen amabile nobis
Dictâſti. Vóſque ô Manifeſta, obſcura & Amœna:
Inſulſi ſalsíque Ioci, Lepidæque Camœnæ:
Quadrati & teretes Satyri, *Satyræque* valete.

FINIS.

PERIOCHÆ

PARS I.

Continens Præludia.

1. PRæludium I. Auli Perſij Satyrographi pronunciatum, falſum. Poëta Coniectantis Aſtrologiæ vanitatem confutaturus, falconis volatum imitatur. Invocatio.

2. Præludium II. Magnum inveniri diſcrimen inter figmenta ingenioſa Poëtarum, & deliria divinantium Aſtrologorum, ídque deprehendi ex cujuſque propoſito & ſcopo. Vtrum præſtantius ſit, Ciceronis DIXI, an Maronis FINXI.

3. Præludium III. Probantur dicta illuſtri paradigmate, deſumpto ex Lib. IV. Virgilianæ Aeneidos. Tametſi enim Aeneas Didonem nunquam viderit; adeóque omnia conficta ſint: ſic tamen explicari & quodammodo demonſtrari veſani Amoris indolem, cauſſas, facta, mores, fata. honeſtâ legentium voluptate, utili ad omnes mortales noticiâ. Vide, ſi placet in Silvis noſtris Lyricis.

Lib. V. Carmen XI. quod inſcribitur Myſterium Delphicum.

4. Sanè vel hinc conſtare, non raró plus deberi Poëtis aptè falſa canentibus; quàm alteri cuivis ineptè veri ſimilia narranti.

5. Aſtrologos pleroſque nolle videri, quidquam comminiſci: quum tamen ſæpe ſæpius terrificè fabulentur; nullâ emolumenti habitâ ratione, nullâ oblectamenti illecebra: Solâ conjectandi aſſuetudine, vel mentiendi libidine.

6. Quid paſsim Calendarijs, (ut vocant) vanius! inde peti lucrum ex aëre, non ex cœlo.

7. Proceditur denique à præludijs ad ipſam Eclipſin Solarem Anni 1654. illâ enim, ad confutandam Mathematicorum vanitatem, efficaciùs aſſumi nil poſſe. Cur Auctor Euterpen invocet præ Vrania.

PARS II.

Antecedentia Eclipſin.

8. ANdreæ Argoli, Itali, Patavij olim Mathematum Profeſſoris, & Iſraëlis HiebneriGermani de Eclipſi hac, præ-

præcox ſparſa opinio, Anno 1651. inde varij motus in populo.

9. Rumores, paralogiſmi, terrores!

10. Augmenta fabuloſa. Nova noviſsima. Hermanni Sartorij anxietas, & propoſitum.

11. Auctoris colloquium, Egræ habitum, cum duobus Mathematicis, ſuper Eclipſi futura.

12. Horrenda ominantium ſomnia.

13. In primis de Romano Imperio, ad Turcas devolvendo. Cauſſas Auctore refutante.

14. Sereniſsimæ Domûs Auſtriacæ Fortuna, Virtus & Gloria. Nullam Eclipſin huic Soli obſtare.

15. Aſtrologos convictos, partim dediſſe manus, partim verba. Fons Acidularum Egræ, an Eclipſin ſenſurus?

16. Duûm Veſpillonum Egræ viſorum, in caupona madens confabulatio: & animoſus Eclipſium contemptus.

17. Inter VVeidam, Superioris Palatinatûs oppidum, & Arcem Parcſteinium, flebilis cataſtrophe, excitata à duobus Militibus, ex occaſione futuræ Eclipſis. Mulieris viduæ calamitas.

18. Quomodo Auctor Ambergam reverſus, invenerit iſtam quoque Civitatem, non minùs eclipticè laborantem.

19. Iudicium de eadem Eclipſi, Ambergæ, in

in foro, maximè feminarum, euentilatum; etiam Plautinis famigerationibus.

20. Ancillæ cujuſdam, jam deſponſæ; quam Sycophantici rumores impleuerant, domum reuerſæ ex foro, miſerabilis angor. ejuſdem Diræ contra diram Eclipſin.

21. Eclipſin aperuiſſe, virginitatis cultum apud aliquas parvo in pretio eſſe.

22. Non tantummodo Ambergæ, ſed & alibi timorem ſuperſtitioſum increviſſe: præſertim ad initium fatalis Anni 1654. Agitatum, ante tempus de Fontibus publicis, per æſtatem, maturiùs obuelandis; ipſo autem *die critico* obſtruendis.

23. Textoris Auguſtani, Mathematicorum ſomnia aſpernantis, commendatio.

24. Arcularij Vlmenſis ſapiens reſponſum. An Animus Hominis magnis pauoribus obſeſsi, aliquando vires ſuas, inter pericula, per Antiperiſtaſin intendat. apparere hoc ſæpe in ultimis.

25. Columbæ; metu Eclipſis translatæ, à *Marte fera,* noctu graſſante, occiſæ, veriùs deflentur, quàm Crinitus Afer Aſtrologus, ſuam coniugem Terentiam extinctam deplorauerit, ſiccisſimè elatam.

26. *VVolfgangi Malecontenti* ſimilem fortunam, Lunarem ſaltem Eclipſin, in efferenda uxore optantis vota: adhuc, quantùm ſcimus, inania.

PARS II.

Propiùs accedentia ad Eclipſin.

27. APpetens Menſis Iulius, Prodromus Eclipticus, Panicos terrores immanè quantùm exauget. primò in Ruſticis.

28. Deinde in paſtoribus. triſtes ſimplicium hominum querelæ, occaſum Mundi & Solis formidantium.

29. Habito Senatu alicubi, propter imminentem Eclipſin, *diu deliberatum, quod ſtatuendum erat ſemel.* Sancita, Civibus tempore obſcurati Solis, ſervanda.

30. Invaleſcente metu, appropinquante Eclipſi, multorum charitatem eminuiſſe: & in primis feminarum, miſsis invicem litteris, ad fortiter quævis ferenda ſe exhortantium.

31. Earundem luctus & pridiana conſternatio ad extrema ſe parantium. Omnis generis Antidota adversùs animi deliquium. Radix Indica mirabilis, Goſſliza; ſi accendatur, magnarum virium.

32. Vilſia fluvius, Ambergam perfluens, Laus Dominarum aliquot Ambergenſium, ex

occaſione Nympharum hujus fluvij expreſſa.

33. Franciſcæ Veniniæ, & Dominæ Saræ Paciecæ, de inſtante Eclipſi colloquium.

34. Quale bonum Divina Providentia, ex vanis Mortalium terroribus elicuerit.

35. Vnde cæcitas & ſtupor humanæ Mentis, inquiritur: ad modum D. Auguſtini in lib. Confeſſ. 8. c. 9. inquirentis: *Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat Animus Corpori, & paretur ſtatim. Imperat animus ſibi; & reſiſtitur.* ita pariter, & fortiùs quidem argumentari liceat. *Vnde hoc monſtrum & quare iſtud!* Obijcit Aſtrologus hominibus ex Eclipſi vana portenta: & timetur. Minatur Deus improbis, per ſe ſuóſque Prophetas, vera tormenta, cometas, extremum Judicij diem, Gehennam; non curatur.

PARS IV.

Dies Criticus, ſive ipſa Eclipſis.

36. Dies Criticus, formidoloſam Eclipſin invehens. proinde in urbibus, pagis ſumma ſolitudo. triſte ſilentium: terror & tremor. multa ridicula.

37. Caupo quidam, in pago, vulgò *Bruck* di-

dicto, inter Monachium & Ingolſtadium, mediâ viâ, ſito, phanatica ſuperſtitione exoneratus, hoſpitibus ſuis gratias habet.

38. *Hora Nona;* Nempe Temporis punctum definitum, decretorium, Argolicum, fatale. quo plurimæ Nationes, colliſis genib s, intremuerunt: excepto Suevo Damino, Coſmopolitano.

39. Quomodo ad ſpectandam Eclipſin tam mirificam, atque Argolicè notabilem, Auctor & Socij ſe præparaverint.

40. *Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus.*

Parturiunt Mentes: & naſus naſcitur ingens;
Pro obſcuro nitidum tacturus acumine Solem.

41. Aſtrologicæ Comœdiæ peractæ Epitioharisma.

42. Repotia, bellaria Ecliptica, joci, lepores, riſus. interea felem domeſticum in area delicias feciſſe: utique Solis & Lunæ influxibus magis inſtinctum.

43. Ad tam prodigioſas Eclipſes contemplandas, novum Democritum requiri.

44. Peccâſſe & deludentes Aſtrologos, & deluſos ab ipſis: proinde ad pœniten[illegible]m reſpiciendum utriſque. Omni morbo medicinam paratam: húncce Eclipticum, non niſi ſuavi, ſalsâ tamen, curatum iri.

45. Deſignatur locus, & Apotheca, in Horizonte noſtro, curandis comprimis idonea.

46. Mirabile Lavacrum Heliconium, Eclipticis fæcibus, & fuliginoſis pavoribus abſtergendis efficaciſsimum.

47. Sophenen tamen hac lixivia non egere: utpote nullo terrore hujus Eclipſis infectam, liberam ſemper & intrepidam ad Aſtrologorum fabulas ſtetiſſe.

48. Vti & Helvetios, nihil commotos terriculamentis Mathematicorũ Argolicis. gloria Liberæ Gentis, ab uſque VVilhelmo Tello libertatis principe, toties deſiderata decantatur.

49. Cæterùm aliam Eclipſin fortiſsimis viris metuendam eſſe; quam ſcilicet *Frater Nicolaus Vndervvaldenſis*, pientiſsimus Eremicola, popularis ipſorum, prædixerit.

PARS V.

Corollaria Ecliptica.

50. A Cometa apparente, (ſive infra Lunam, ſive ſupra appareat) certiùs indicium ſumi impendentium malorum, quàm ab ulla Eclipſi. Tria officia Cometæ. De Cometa Anni decimi octavi. Cur hæc ſtella barbata?

51. Sche-

51. Schema Poëticum: quo naturales cauſſæ cujuſcunque Eclipſis, ſive Solaris, ſive Lunaris exponuntur, ad vivum deſcriptæ.

52. Eodem ſchemate demonſtrari: Eclipſin, quæ tempore Chriſti patientis contigit: omnem naturæ ordinem, omnéſque alias Eclipſes, modo, magnitudine, mora, celeri complemento tenebrarum ſuperâſſe. quippe 15. die Menſis Niſan Phaſe conſuetum celebrabatur; quo Chriſtus occiſus, & Luna plena fuit: adeóque à Sole remotiſsima, illum obſcurare non potuit. Ex quo advertas Divinæ Sapientiæ luſum, an Conſilium? hac enim ratione callida Iudæorum nequitia, in aſtutia ſua neceſſariò deprehendebatur. Eclipſis ipſos cæcitatis, obſtinatiſsimos licèt, convincere poterat, divinitus accidiſſe. ergo ob malum perpetratum: ſcilicet Innocentiſsimum condemnatum. An ſtellæ tunc in meridie viſæ. Exclamatio S. Dionyſij Areopagitæ, Heliopoli, in Aegypto.

53 Quæ Eclipſis mortalibus maximè conſideranda. utique propria, cùm in morte, fractis luminibus, decor omnis evaneſcet: De hac Mathematicis potiùs cogitandum: *antequam tenebreſcat ſol & lumen, & luna, & ſtellæ*, &c. Ecclc. 12. Vbi & cætera morituri hominis ſigna, ſymbolicè deſcripta, invenientur.

54. *Myſtica Caligo:* Eclipſis, non tantùm

Argolicâ Naturali, ſed & cunctis prioribus admirabilior: quam paſſus eſt *Sol iuſtitiæ* in Cruce; complevit *Pulcra ut Luna*, tunc *Nigra ut Luna* ſub Cruce:

Corollaria Ecliptica.

Iesus & Maria. Hic patiens, iſta compatiens. Ambo tenebris ineffabilibus immerſi, in monte Calvariæ. An D. Virgo verum animi deliquium ſub cruce paſſa ſit.

55. Itaque cuivis moribundo, & ſuam noviſsimam Eclipſin paſſuro, Mortem; inſpiciendum eſſe tunc, in hanc Myſticam caliginem: tenebráſque letales, intuitu hujus fortiter corrigendas, certè ferendas. Quid ſit *Oſcè moriri* cum Chriſto.

56 Ad Cl. Viri Andreæ Argoli Eclipſin, vanis præſagitionibus cruciatam redeundo; ſtatuitur omnino, Extremum Iudicij Diem, ex nulla, quantacunque, qualicũnque ſolâ, ſive Solis, ſive Lunæ, prædici poſſe. Producuntur exempla & errores pſeudoprophetarũ: *Martini Lutheri, Campani Clivenſis, Michaëlis Stiffelij* Apoſtoli Lutherani in Auſtriam miſsi. Vltimi nomenclatura, & Comœdia, priore ſæculo exhibita.

57. Actio Stiffeliana; ſive Bacchanalia. Sa-

Saturnalia, Dionyſia ſacra. verbo: *Moria.*

58. Parſimonia in fundo: Pœnitentia in ſicco: fuga in hyeme.

59. Diem Domini magnum multò plura, horridioráque ſigna præceſſura eſſe, quàm unam Argolicam Eclipſin, aut Stiffelianum vaticinium. Lucæ 21. v. 25.

60. Ioël Propheta ſuadetur legendus c. 2.

61. *Quanquam autem de die illo nemo ſcit, neque Angeli in cœlo,* &c. Marc. 13. v. 32. Notari tamen poſſe furtivos paſſus, quibus *Dies Domini* magis atque magis irrepat. Ad hanc præſagitionem nullam Eclipſin pertingere. Conſidera ſtatuam Regi Nabuchodonoſori in ſomnis obiectam, quatuor Regna (Chaldæorum, Medorum ſive Perſarum, Græcorum, Romanorum) ſibi ſucceſſura, immanibus & diſcoloribus membris pręferentem. De ultimo quid ſupereſt? atqui ſtatua collapſa non recrevit. Ergo ſumus ij, *in quos fines ſeculorum devenerunt.* 1. Cor. 10.

62. Conſidera item *prælia & opiniones præliorum, initia dolorum.* Matth. 24. v. 6. Tota Europa diſcerpitur. Sed & univerſus Orbis. Galli, Hiſpani, Angli, Scoti, Germani, Dani, Sueci, Poloni, Curvi, Recti, calentibus votis, ardentibus armis, Meum ac Tuum, frigidum illud verbum petunt: quod brevi nullius erit.

63. Antichriſti Prodromi, omnis generis exaggerata flagitia, denſo agmine, alta cer-

vice

vice vagantur. Quid fidei, aut fidelitatis cernis in hominibus? *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra*? Luc. 18. v. 8. examina: Invenies *Fidem divinam* in paucis; *humanam* pæné in nullis. Qualis bellica Caſtrenſis!

64. Qualis Pace, domi! mores ſeculi, ſtylus curiæ, character aulæ! Machiavelliſmum & Atheiſmum paſsim dominari.

65. Iuſtitiæ *oculos* non obvelatos eſſe, ſed effoſſos. *Libram* gementi relictam eſſe, pro ludibrio, non æquilibrio.

66. Facinora autem turpia excedere ripas, & omnem modum. Prodigium inceſtuoſæ libidinis, omnibus ſeculis inauditum! Feminarum impudentia.

67. Sed & puellarum; quæ caſti nitoris decus ſaltem virgineo nomine profeſſæ, nihil minùs curant.

68. Epilogus Auctoris, contemplantis Neoburgi præterfluentem Danubium; ex formula conſueta.

Nominum & Verborum.

Quæ Num. 61. in Oſca Poëſi adhibentur, interpretatio.

Ampliter.	Largiter.
Incicures.	Immanſuetos.
Laboſes.	Labores. Hinc Nom. ſing. *Labos*: ut honos.
Ruſpari.	Quærere, deſiderare. *Abolitum.*
Pœſnas.	Pœnas. *Abolitum.*
Aquilis.	Nigris. Adiectivum. Aquilus, aquila, aquilum. unde Nomen Regina avium habet.
Vrvatus.	Cinctus, circumdatus. *Abolitum.*
Alpis.	Albis. Vett. dicebant, alpus, alpa, alpum. credibile eſt, *Alpes* hinc nomen ſuũ ſortiri ab alpis nivibus.
Crucij.	Crucis.
Æſtimia.	Æſtimatio.
Fucile.	Futile.
Pitpit.	Quidquid. *Abolit.*

Sar-

Sardârunt.	Cognoverunt, intellexerunt. *Abolit.*
Contemplare.	Vett. dicebant Contemplo. Eſtque hoc vocabulum á templo deductum.
Solata.	Morbos. *Abolit.*
Querquera.	Frigida. *Abolit.*
Torta.	Subſtantiv. Tormenta.
Calda.	Calida.
Ej*ulitando.*	Ejulando. *Obſolet.*
Talipedantem.	Vacillantem pedibus.
Incoxatum.	In coxas ſedentem.
Clunabula.	Gladios: quod ad clunes appenderentur. *Abolit.*
Scæva.	Sæva.
Vnguſti.	Fuſtes. *Obſoletum.*
Acieres.	Acutæ ſecures. *Abolit.*
Cateia.	Clávæ. retinuit Virgilius.
Inebra.	Infauſta. *Abolit.*
Gramia.	Oculorum vitium. hinc gramioſus.
Lœbeſus.	Liber, lætus.
Viduertates.	Calamitates: quaſi viduantes.
Conſo.	Deo conſilij.
Circaneus.	Circùm circá, volubilis. Exundans.
Aſſir.	Sanguis. Prorſus obſoletum, ut jam neſciatur, quid Nominis.

Ar-

Arferiam.	Aquam ſtygiam, flammatam. *Abolit.*
Exſuccat.	Exſiccat. quaſi ſine ſucco facit.
Reſes.	Deſes. hoc manſit in ſingul. Reſes in plural. Hinc apud Virgil. Reſides animos. pigros.
Cracens.	Gracilis. delicatus. *Abolit.*
Bliteum.	Inutilem. *Abolit.*
Stlembum.	Tardum. *Abolit.*
Acupedios.	Celeres. pedes, quaſi ab acubus perſtrictos.
Faminat.	Dicit. hinc in antiquis Hymnis de S. Ioan: Baptiſta. *famine* id eſt, verbo.
Frendere.	Frangere. hinc *Nefrens*, porcellus, qui necdum glandes frangere poteſt.
Sollenitus.	Vett. pro ſolenniter.
Nenu.	Ne. Neu.
Procitante.	Vocante. *Abolitum*
Bitiens.	Peregrinus. *Abolitum,*
Fuas.	Sis.
Tempeſta.	Media opportuna. hinc tempeſtiva, intempeſta nox, importuna, tempeſtates ciens.
Aliuta.	Aliter. *Antiquatum.*
Verruncare.	Vertere. hinc apud Plautum. Averruncet malum. avertat.
Vitai.	Vitæ.

Scamberat.	Vrit, incitat. *Obſoletum.*
Indecorabiliùs.	Inhoneſtiùs.
Impunis.	Sine pœna. Manſit adverbium Impunè.
Pregnariter.	Fortiter, ſtrenuè, ſcienter. *Obſoletum.*
Obpuviatus.	Verberatus, contuſus. *Obſoletum.*
Effudas.	Effundas.
Dacrumas.	Lacrùmas.
Cnephoſa.	Tenebricoſa.

FINIS.

Lectori.

Et Luna, quæ ſolem obſcuravit, ſuas maculas habet; nec omnibus carere creditur ipſe Princeps Siderum obſcuratus, quid mirum, ſi & aliquæ, ex typica Eclipſi, in chartam ſublapſæ defluxerint. Itaque tenebras mendorum curioſus obſervator ſic diſcutiat.

Fol. 1. v. 22.	Schiomantæ.	lege	*Sciomantæ.*
fol. 16. v. 2.	judicante.	l.	*indicante.*
fol. 21. v. ult.	pharetra.	l.	*pharetræ.*
fol. 22. v. 27.	proprior.	l.	*propior.*
fol. 23. v. 9.	propriùs.	l.	*propiùs.*
fol. 32. v. 7.	figni.	l.	*ſigni.*
fol. 36. v. 3.	potentibus.	l.	*parentibus.*
Eodem v. 25.	mementis.	l.	*momentis.*
fol. 57. v. 6.	aſcedens	l.	*abſcedens;*
fol. 66. v. 1.	ſolito	l.	*ſoluto.*
fol. 70. v. 8.	oraculo	l.	*oracula.*
fol. 84. v. 11.	montes	l.	*mentes.*
fol. 89. v. 4.	ab	l.	*ob.*
fol. 91. v. 25.	immo	l.	*imma.*

fol. 95. v. 11. (integra linea omiſſa eſt, ſic ſupplenda) *ut Sol in cœlis, Cæſar, & Cæſar in terris, Sol diceretur.*

fol. 98. v. 22.	*ab* delendum :	redundat.	
fol. 102. v. 9.	Innache	lege	*Inache.*
fol. 105. v. 30.	pugnatur	lege	*pugnetur.*
fol. 106. v. 11.	damnatis	lege	*damnantis.*
fol. 107. v. 4	ubi	lege	*ubique.*
fol. 110. v. 25.	Michele	lege	*Michaële.*
fol. 116. v. 15.	invictis	lege	*invitis.*
fol. 124. v. 24.	macros	lege	*pingues.*
fol. 126. v. 5.	Phaëthonem	lege	*Phaëthontem.*
fol. 145. v. 21.	editura	lege	*edituram.*

fol.

Fol. 146. v. 24.	ulli	lege *ulla.*
fol. 154. v. 11.	Superit	lege *Superis.*
fol. 157. v. 11.	verò	lege *vero.*
fol. 159. v. 2.	antecetia	lege *antecedentia.*
fol. 164. v. 32.	has	lege *hos.*
fol. 165. v. 1.	ſuccifis	lege *ſuccisis.*
fol. 169. v. 26.	Sybilla	lepe *Sibylla.*
fol. 171. v. 32.	Teſtebatur	lege *Teſtabatur.*
fol. 174. v. 17.	Hymens	lege *Hymen.*

fol. 180. v. 36. Veſter. Autographum habet *vectet.*

fol. 181. v. 18.	ancora	lege *anchora.*
fol. 187. v. 3.	dubitabis?	lege *dubitas?*

Numeros in margine foliorum lib. primi ponendos, ſed omiſſos, ſic repone.

fol. 48. ad v. 19. ponatur 19.
fol. 72. ad v. 11. 28.
fol. 73. ad v. 8. 29.
fol. 76. ad v. 24. pro 32. ponatur. 31.
fol. 87. ad v. 8. 34.

fol. 193. v. 16. quem l. *quam.*
eod. v. 19. Chelis &. *&. redundat.*
fol. 201. v. 9. album. l. *albam.*
eod. v. 35. maternam. l. *maternum.*
fol. 202. v. 16. vi. l. *ut.*
fol. 203. Verſus corrigendus omiſſo reſtituto:
Cras potes, aut hodie, nihil eſt incertius hora
Mortis: morte tamen nil certius. occidui ſunt
fol. 212. v. 4. Saramaticam. l. *Sarmatiam.*
eod. v. 15. omn l. *omnia.*
fol. 223. v. epitioharifma. l. *epicithariſma.*
fol. 229. v. 3. Quæ Num. 61. l. *Num. 55.*

C791
SLSS